



author
P. L. Danes

INSTITUTIONES DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, SIVE *CATECHISMUS* NOVA METHODO *CONCINNATUS* AD USUM


Studiosæ Juventutis Venerandæ Facultatis Artium Studii generalis Lovaniensis.





LOVANII,
Typis VIDUÆ PET. DENIQUE, MDCCLXXVIII.


Cum Approbatione & Privilegio.



EPISTOLA

Ad Venerandam Facultatem Artium Academiæ Lovaniensis.

Venerande Domine Decane, ceterique VV. DD. Collegæ.



Um deessent Exemplaria Catechismi ad usum Studiosæ Juventutis Vestræ destinati, judicastis expedire, ut pro nova editione prolixior alias nova methodo concinnaretur: eam mihi provinciam demandastis; obedivi, suscepi, & quantum vires Deo juvante tulerunt, implevi. At ne quid fortasse novitatis inveherem, celebrioris nominis Catechismos veteres ac recentiores, vel totos vel ex parte evolvi, & ex iis plena cum libertate decerpsi quidquid Fidei Catholicæ explicandæ ac stabilendæ, moribusque Christianis salubriter instituendis judicavi fore opportunum. Ob necessariam interim brevitatem multa sciens prætermisi, aut verbo tantùm indicavi, reser-

vans solertia explicantium pleniorem omnium elucidationem. Quam rem his ipsis utcumque faciliorem reddere conatus sum, indicatis plerumque SS. Literarum, Sanctorumque Patrum locis præcipuis, è quibus uberior probatio & illustratio petenda sit. Aliud præterea adjumentum præbet ipsa Opusculi divisio; nempe in tot capita distributum est, quot spatio biennii (quod explicationi destinatum est) occurrere solent Lectiones Catechisticæ: adeò ut si singulis vicibus unum circiter Caput explanetur, cum Cursu Philosophico Catechismi explicatio absolvenda sit. Accipite ergo bonique consulite conatum hunc meum, quem imperastis: faxitque Deus ut qui unice præ oculis habendus est Juventis profectus, cum uberi Christianæ pietatis incremento ex eo promanet, Vosque primi illius Auctores fulgeatis olim velut stellæ in perpetuas æternitates. Ita voveo.

Venerande Domine Decane, ceterique V. V. DD. Collegæ,

D. D. VV.

Humilimus & obsequentissimus famulus.

P. L. DANES S. T L. Philosophiæ Professor in Lilio.

Lovanii 22. Aug. 1713.



APROBATIO.

Institutiones doctrinæ Christianæ sive Catechismus ad usum Studiosæ Juventutis Venerandæ Facultatis Artium Authore P. L. Danes utiliter Reimprimetur. Datum Lovanii hâc 14. Octob. 1740.

G. J. De Quareux S. T. L.
Librorum Censor.




Vid. Franc. Jacobi, *S. T. L. Apost. Reg. Lib. per Germ. Infer. Visit. & Cens., Insign. Eccles. Colleg. Sti. Petri. Lovan. Can.*



Reimprimi potest. Actum Bruxellis hâc 11. Martii 1775.

G. J. De Limpens, *Consiliarius & Procurator Generalis.*




SUMMA PRIVILEGII.


MARIA THRESIA *Dei Gratiâ Romanorum Imperatrix Regina Hungariæ, Bohemiæ, Archidux Austria, Dux Burgundiæ Lotharingiæ, Brabantiæ &c., Diplomate suo sanxit, ne quis præter* VIDUÆ PETRI DENIQUE *Typographi Lovaniensis Jurati voluntatem, Librum cui Titulus :* Catechismus Philosophorum, authore P. L. DANES &c. *Intra novennium imprimat, aut alibi locorum impressum in hanc Provinciam importet, venalemve exponat : Qui secus faxit, confiscatione dicti Libri & aliis gravioribus pœnis mulctabitur, sicuti latiùs patet in Litteris Bruxellæ datis* 29. Octob. 1777.

Signat.

F. J. MOSTINCK



CATECHISMI NECESSITAS ET PARTITIO.



Atechismi nomen recepto usu eam doctrinam denotat, quâ quid credendum sit, sperandum & diligendum, ut finem ad quem creatus est homo assequatur, verbis claris atque simplicibus explicatur.

Doctrinæ hujus auctor est *Jesus Christus* humani generis Doctor & Redemptor, qui (*a*) *viam Dei in veritate* docuit, & quod in sinu Patris ab omni æternitate hauserat, hominibus enarravit (*b*) Hic ad Patrem rediens, & visibili suâ præsentiâ terram destituens, Apostolis, quos suæ Religionis præcones elegerat, mandatum dedit ut (*c*) *Evangelium* [id est lætum

(*a*) Luc. 20. ℣. 21. (*b*) Joan. 1. ℣. 18.
(*c*) Marc. 16. ℣. 15.

Redemptionis nuntium] toto orbe terrarum promulgarent, (*a*) gentesque omnes & nationes docerent servare omnia quæcumque illis ante mandaverat.

Hoc Magistri sui præceptum eò alacriùs illi impleverunt, quòd scirent doctrinæ hujus indispensabilem esse *necessitatem*, fructumque eximium. *Necessitas* inde patet, quòd teste Apostolo (*b*) *sine fine impossibile sit placere Deo*. (*c*) *Fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, quod sinè prædicante audiri non potest. Sinè fine latent nos & finis ultimus vitæ nostræ & ratio eum assequendi. *Fructus* porrò Evangelii & doctrinæ Christianæ est vita æterna: (*d*) *Virtus enim Dei est* (Evangelium) *in salutem omni credenti*.

Contrà verò quidquid in orbe Christiano dissolutionis & corruptelæ est, id quidem partim *concupiscentiæ* quâ natura nostra post Adami lapsum infecta est, sed partim etiam rerum credendarum & agendarum *ignorantiæ* tribuendum est. Infelices istæ ignorantiæ tenebræ solo divinæ claritatis lumine dissipari possunt; sed æterna veritas ministerio hominum lumen suum solet diffundere, inflictumque à concupiscentia vulnus sanare, dum Christiana veritas eo modo quo oportet annuntiatur.

Hanc ut aptâ methodo proponamus, S. Augustinum secuti, ad tria summa capita revocabimus, Fidem, Spem & Charitatem. Hæc enim vera hominis sapientia est, nosse quid credendum, quid sperandum, quid diligendum sit: credere autem, sperare & diligere quod oportet

(*a*) Matth. 28. ℣. 19. (*b*) Hebr. 11. ℣. 6.
(*c*) Rom. 10. ℣. 17. (*d*) Rom. 1. ℣. 16.

& ſicut oportet, verus Dei cultus & vera hominis juſtitia eſt.

Partiemur itaque Inſtitutionem hanc doctrinæ Chriſtianæ in partes tres, acturi primâ parte de Fide & Symbolo, Sacramentis item ac Cæremoniis Eccleſiæ. Secundâ de Spe & Oratione. Tertiâ de Charitate, Præceptis Dei ac Eccleſiæ, cæteriſque officiis juſtitiæ Chriſtianæ.






INSTITUTIONES
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ &c.



PARS PRIMA.

De Fide & Symbolo : item Sacramentis & Cæremoniis Ecclesiæ.



Uoniam Fides lumen est animæ, ostium vitæ, radix justitiæ, fundamentum salutis æternæ, sinè qua Deum invenire & invocare, Deo servire & placere nullus in hac vita potest : (*a*) *Credere* enim *oportet accedentem ad Deum*, inquit Apostolus : (*b*) *Qui vero non crediderit condemnabitur.* Imò (*c*) *jam judicatus est* ex Christi sententia; idcircò necesse est ut à fide exordium sumat Christianæ Religionis institutio.

Ad Fidem autem Sacramenta, sacrosque Ecclesiæ Ritus reducemus, quia illa non nisi per fidem innotescunt, neque alio intuitu quam nutriendæ & profitendæ fidei sunt instituta.

(*a*) Hebr. 11. ℣. 16. (*b*) Marc. 16. ℣. 3.
(*c*) Joann. 2. ℣. 18.



SECTIO PRIMA.

DE FIDE ET SYMBOLO.

CAPUT PRIMUM.

De Fide, ejus objecto, exercitio & Necessitate.

QUæstio I. *Quid est Fides?*

℟. Est virtus Theologica divinitùs infusa, quâ firmiter assentitur homo atque adhæret iis, quæ ut credantur à Deo revelata sunt, & ab Ecclesia nobis proposita.

Theologica Virtus dicitur, quæ Deum ipsum habet pro objecto, tam formali quàm materiali, circà quod immediatè versetur, cujusmodi tantum sunt tres, Fides, Spes & Charitas.

Distinguitur contra virtutem *moralem*, cujus proprium munus est humanos mores dirigere & rectè ordinare.

Infusa Virtus dicitur quam Deus in nobis sinè nobis operatur. Contra *Acquisitam* distinguitur, quæ sæpè repetitis actibus comparatur.

Q. 2. *Quænam sunt credenda?*

℟. Ipsa definitio indicat: *Quæcumque ut credantur divinitùs revelata sunt, & ab Ecclesia nobis proposita.* Atque id est quod passim *objectum materiale fidei* vocari solet.

Q. 3 *Quænam vero est ratio ob quam* firmiter, *& omni penitus dubitatione, falsique suspicione exclusâ, rebus credendis adhæreamus?*

℟. Dei revelantis infinita veracitas: neque enim spectat fides naturæ ordinem, non sensuum fi-

dit experientiæ; non potentiâ aut ratione humanâ, sed virtute & authoritate divinâ nititur, illud planè certum habens, summam æternamque veritatem, quæ Deus est, nec falli posse unquam nec fallere.

Hæc summa Dei revelantis veracitas, *objectum formale fidei* appellari consuevit.

Q. 4. *Numquid imprudens est credere quod non intelligas?*

℟. Minimè verò, si modò constet à Deo revelatum esse. Prudentissimum utique est captivare (*a*) *intellectum in obsequium* illius, apud quem (*b*) *non est* difficile nedum *impossibile omne verbum*, & cui non minùs impossibile est mentiendo *fallere*, quàm *non esse*.

Q. 5. *Unde nobis constat, ea quæ credimus, divinitùs revelata esse?*

℟. Ex authoritate Ecclesiæ Catholicæ ista ut talia proponentis; hanc enim Deus tot tantisque notis insignivit, ut in hoc ipsi meritò adhibeatur fides tamquam (*c*) *columnæ & firmamento veritatis*: imo cum S. Augustino jure possumus dicere (*d*) ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas. Sed de his pluribus infrà ubi de Ecclesia.

Q. 6. *Veramne fidem habet qui eorum, quæ per Ecclesiam Deus credenda proponit, aliqua recipit, & aliqua rejicit?*

℟. Nequaquam: nam qui verè credit, nititur authoritate Dei revelantis, quæ cum sit omnibus quæ ipse revelavit communis, omnibusque æqualiter per Ecclesiæ propositionem applicata, non Deo sed sibi credit, qui ex iis aliqua recipit, alia respuit.

(*a*) 2. Cor. 10. ℣. 5. (*b*) Luc. 1. ℣. 37.
(*c*) Tom. 3. ℣. 15. (*d*) Contra Epist. fundam cap. 5.

Q. 7. *Quænam sunt ad consequendam salutem creditu necessaria?*

℟. Alia dicuntur necessaria *necessitate medii*, alia solâ *necessitate præcepti.*

Necessitate medii creditu necessaria dicuntur, quorum fides velut *medium* à Deo statuta est, sinè quo justitia & salus obtineri non possint, undecumque illud contingat abesse.

Necessitate præcepti creditu necessaria dicuntur, quæ quidem jubemur credere, sed si sinè culpa nostra ignorentur, nos à salute non excludunt.

Q. 8. *Quænam igitur sunt creditu necessaria* necessitate medii?

℟. Omni tempore sic necessarium fuit credere 1. (*a*) *Unum Deum* esse : 2. eumdemque *Remuneratorem* esse bonorum, ac proinde vindicem quoque malorum. Ad hæc post sufficientem Evangelii promulgationem eâdem necessitate requiritur (ut Scriptura & SS. Patres innuunt) 3. fides *SS. Trinitatis*, & 4. *Mediatoris*, id est incarnationis, mortis & resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, qui genus humanum peccato perditum, suâ morte redemit. (*b*)

Q. 9 *Quænam sunt creditu, scituvè necessaria* necessitate præcepti?

℟. Ea omniaque in *Symbolo* Fidei continentur, aliaque post status cujusque diversitate diversa. Neque enim omnes æqualiter doctrinâ fidei debent esse imbuti, sed quibus docendi munus incumbit, eâ debent esse pleniores, ut & in alios transfundere possint.

Cæterùm generalis obligatio est, ut unusquique non tantùm communia Christiani hominis offi-

(*a*) Hebr. 11, ℣. 6.
(*b*) Vide S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. & 8.

cia, sed peculiares etiam sui status obligationes probè habeat perspectas.

Q. 10. *Satisne est ea quæ credenda & scienda sunt, semel in juventute didicisse?*

℟. Minimè, sed fidem, quam singulari Dei favore semel suscepimus, assiduo exercitio conservare & nutrire oportet. Nam (*a*) *justus ex fide vivit*, fide videlicet præbente perpetuum spirituali vitæ ejus alimentum. Tam frequentes igitur fidei actus exercere debet homo Christianus, ut censeri possit ex fide vivere. Ad id etiam exercitium singulariter, quisque obligatur, dum vel contra fidem tantatio vel mortis periculum ingruit.

Q. 11. *Solane fides ad salutem sufficit?*

℟. *Fides*, inquit Jacobus Apost., (*b*) *sine operibus mortua est.* Imo verò gravius à Deo judicandus est, qui (*c*) quod per fidem novit, factis negat. Illa ergo demum fides ad salutem sufficit (*d*) *quæ per charitatem operatur*, & Dei mandata custodit Hæc Fides *viva* dicitur, & charitate *formata*: illa verò *informis* nominatur & *mortua*.

CAPUT II.

De Scriptura Sacra & Traditione.

QUæstio 1. *Ubinam continentur quæ divinitùs revelata ac per Ecclesiam ad credendum proposita sunt?*

℟. In Verbo Dei Scripto & Tradito.

Verbum Dei scriptum illud dicitur, quod in iis libris continetur quos *Sancti Dei homines* (*e*)

(*a*) Rom. 1. ℣. 17. (*b*) Jac. 2. ℣. 20.
(*c*) Tit. 1. ℣. 16. (*d*) Galat. 5. ℣. 6.
(*e*) 2. Petr. 1. ℣. 21.

Spiritu S. dictante scripserunt. Horum librorum aliqui ante Christi adventum scripti sunt alii post: illi *Veteris Testamenti*, hi verò *Novi Testamenti* libri nuncupantur. *Canon* utrorumque, sive catalogus inviolabilis exhibetur Sess. 4. Concilii Tridentini, & qui in eum Canonem recepti sunt libri, dicuntur inde *Canonici*.

Verbum Dei traditum (*a*) nuncupamus quod Apostoli vel ex ipsius Christi ore, vel Spiritu S. dictante hauserunt, non ut litteris consignarent, sed posteris quasi per manus traderent, ab his porrò conservandum & transmittendum.

Q. 2. *An ergo Scriptura Sacra fundandæ fidei nostræ, exortisque controversiis dirimendis non sit sufficiens?*

℟. Nequaquam: nam imprimis sine *Apostolica traditione* & auctoritate Ecclesiæ vera Scriptura Sacra, à falsa discerni non potest. 2. Plurima sunt in Sacris Scripturis obscura & intellectu difficilia, uti de *Pauli* Epistolis disertè testatur (*b*) *Petrus* in suis quæ nec ipsæ ubique claræ sunt. 3. Multa quæ ad fidem fundandam, moresque instituendos pertinent, in sacris litteris non reperiuntur expressa, sed continuâ traditionis serie, ab Apostolis ad nos usque pervenerunt, ut in decursu luculenter evincetur.

Quin imò prima Christianæ fidei regula verbum Dei fuit, non *schriptum*, sed *traditum*; *prædicatione* enim Apostolorum Ecclesia fundata, & Religio propagatà est. Quod si deinde Novi Testamenti libri accesserunt, non ideò auctoritatem amisit quod viva voce tradiderant.

(*c*) Quapropter pari pietatis affectu suscipimus

(*a*) Trid. Sess. 4. (*b*) 2. Petr. 3, ℣. 16.
(*c*) Trid. Sess. 4.

& veneramur utrumque Dei verbum *scriptum & traditum*, obtemperantes Apostoli, 2. ad Thessalonic. 2. 24. *Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam.*

Q. 3. *Quo indicio Apostolicæ Traditiones dignoscuntur?*

R. (*a*) Si quid ab omnibus Ecclesiis Christianis unanimi consensu receptum sit, nullumque illius initium designari possit, consequens est id ab Apostolis originem accepisse.

Cæterùm quidquid Catholicâ fide credendum vel divino præcepto servandum est homini Christiano, id totum Apostolis revelatum fuit, vel scripto committendum, vel sine scripto ad posteros vivâ voce transmittendum. Quòd si quæ postmodum *Revelationes* divinitùs contigerunt, illæ *privatæ* sunt, neque ad Fidem Catholicam pertinent.

Q. 4. *Ad quem spectat de verbo Dei scripto & tradito, ad de utriusque vero sensu judicium ferre?*

R. Munus hoc non ad fideles singulos, sed ad Ecclesiam Catholicam pertinet. Hanc voluit Deus mysteriorum suorum depositariam esse, verbumque suum scriptum & non scriptum cum utriusque vero sensu, illi custodiendum dedit. Hæc est (*b*) *columna & firmamentum veritatis*, quæ per infallibilem Spiritus S. directionem veras scripturas, verasque traditiones discernit à falsis, & genuinum scripturæ sensum ab adulterino distinguit.

Q. 5. *Quomodo hoc suum munus exercet Ecclesia?*

R. Si quando super his rebus controversia vehementior exorta fuerit, defertur visibile caput

(*a*) Vide S. Aug. Epist. 118. nunc 54. ad Januar.
(*b*) 1. Tim. 3. ℣. 15.

Ecclesiæ

Ecclesiæ Christi Vicarium, & in *Romana* Sede Petri Apostolorum Principis Successorem, cui, in Petro dictum est: (*a*) *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* (*b*) *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu... confirma fratres tuos.* (*c*) *Pasce agnos meos.... Pasce oves meas.* Hic judicio infallibili controversiam dirimit, ita ut omnes toto orbe fideles acquiescere teneantur. Nam juxta *S. Thomam* (*d*) "Ad summi Pontificis auctoritatem pertinet; finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Cujus (inquit) ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. Cor. 1. *Idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata*, quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententià à tota Ecclesia firmiter teneatur."

Interdum tamen, rebus nimiùm exulceratis, *Universale Concilium* adhibetur, in quo Episcopi ex omnibus terræ partibus simul in Christi nomine congregati, Universalem Ecclesiam sub suo Capite repræsentant, ut sic definita veritas suaviùs & efficaciùs ubique recipiatur.

Quisquis porrò Ecclesiæ Catholicæ decisionibus pertinaciter unquam obstitit, ab Ecclesiæ communione remotus, juxta Christi præscriptum, habitus deinceps fuit velut (*e*) Ethnicus & Publicanus.

Q. 6. *Cur dici nequit quòd scripturam & scripturæ sensum, per internum Spiritùs S. dictamen fideles discernere debeant?*

(*a*) Matth. 16. ℣. 18. (*b*) Luc. 22. ℣. 32.
(*c*) Joan. 21. ℣: 16. 17. (*d*) 2. 2. q. 1. art. 16.
(*e*) Matt. 18. ℣. 17.

℟. Contrarium id eſt ordini à Chriſto inſtituto, (*a*) quippe Eccleſiam nos audire voluit : & aliunde experientiâ patet in Acatholicis, dogma iſtud tot in fide opiniones ſectaſque inducere natum eſſe, quot ſunt homines.

Q. 7. *Quâ animi diſpoſitione verbum Dei legendum vel audiendum eſt?*

℟. 1. Cum reverentia. 2. Cum humilitate. 3. Cum docilitate.

Cum reverentia erga infinitam Veracitatem Dei nobis loquentis, ut neutiquam dubitemus quin veriſſima ſint omnia quæ in iis libris continentur.

Cum humilitate, venerando etiam quod non intelligimus.

Cum docilitate, ut judicio Eccleſiæ noſtrum ſemper libenti animo ſubmittamus, nunquam ſenſui noſtro pertinaciter inhærentes.

Fructus porrò verbi Dei lecti vel auditi hi eſſe debent : Quotidiana vitæ emendatio, ſerium virtutis ſtudium, fidei ac ſpei robur, cupiditatis diminutio & charitatis incrementum.

CAPUT III.

De vitiis Fidei oppoſitis.

QUæſtio 1. *Quot modis contra fidem peccari poteſt?*

℟. Duobus, ut contra virtutes reliquas. *Omiſſione* contra præceptum fidei affirmativum, & *commiſſione* contra negativum.

Præcepto fidei *Affirmativo* (ut vocant) jubemur actum fidei tam frequenter elicere, ut ex fide vivere cenſeri poſſimus : jubemur etiam fi-

(*a*) Luc. 10. ℣. 16. & Matth. 18. ℣. 17.

dem, quam corde credimus palàm *confiteri*, quando id Dei honor, proximive utilitas exigit. Exigit autem, quando quispiam, quam Religionem sectetur, per potestatem publicam interrogatur: ne alioquin si subterfugiat, Christum erubescere censeatur.

Præcepto fidei *Negativo* prohibemur aliquid à fide Christiana & Catholica alienum credere vel profiteri. Peccatum huic præcepto contrarium *Infidelitas* nominatur.

Q. 2. *Quot sunt celebriores* Infidelitatis *species*?

℟. Tres, Paganismus, Judaïsmus & Hæresis.

Paganismus Omnes Gentilium, Idololatrarum & Mahometanorum Religiones complectitur.

Judaïsmus Religio est eorum, qui quem nos indubitatâ fide advenisse credimus Christum Redemptorem, quasi adhuc venturum cum splendore & majestate sæculari, mirâ pertinaciâ exspectant. Populus quondam à Deo electus, nunc post Messiam à se rejectum (*a*) *sinè Rege*, *sinè Principe*, *sinè Sacrificio*, *sinè Altari* dispersus toto orbe vagatur, demum in fine sæculi depositâ cordis cæcitate, ad Christum convertendus.

Hæresis est vitium fidei oppositum, quo quis fidem in Baptismo professus, aliquid à communi Ecclesiæ Catholicæ doctrina alienum sibi tuendum *eligit*, eique pertinaciter adhæret.

Hæreticus igitur ille dicitur qui, *Baptismo* suscepto, *errorem* aliquem Catholicæ fidei contrarium sustinet, idque *cum pertinacia*.

Q. 3. *Fuitne semper Ecclesiæ Fides per hæreses oppugnata?*

℟. Fuit jam inde à temporibus Apostolorum ac deinceps omni sæculo, eritque usque ad mun-

(*a*) Joël. 3. ℣. 4.

di finem : nam teste Apostolo (*a*) *opertet & hæreses esse*, id est attentâ multorum superbiâ & quæ inde nascitur pertinaciâ, fieri aliter non potest, quin in doctrinâ fidei oriantur dissentiones.

Q. 4. *Quid de variis istis hæresibus factum est?*

℞. Vidit eas Ecclesia pene omnes oriri & occidere : ipsa fundata supra petram contrà ventos omnes & procellos persistit immobilis, certâ Christi promissione secura, fore ut aliquando & hodiernæ hæreses cæterarum more dissipentur. (*b*) *Portæ inferi*, id est omnes inferni potestates, *non prævalebunt adversus eam.*

Q. 5. *Quid ex iisdem hæresibus damni, quid utilitatis tulit Ecclesia?*

℞. Multi quidem ejus filii, sed pravi & instabiles, à veritate exciderunt : verùm hoc inde lucri percepit, quòd qui in veritate Catholica firmi essent. (*c*) manifesti fierent, & crescente Pastorum vigilantiâ, veritas Christianæ fidei majorem lucem acciperet, moresque fidelium majorem puritatem (*d*) Sic utique omnipotens Deus ex iis, quæ sinit, malis, majora bona elicit, & diligentibus se (*e*) omnia cooperari facit in bonum.

Q. 6. *Estne singularis Dei favor in fide Catholica natum & educatum esse?*

℞. Est sanè tantus ut numquam satis æstimari possit. Tristis utique experientia satis probat, quàm raro & quàm difficilè qui in infidelitate nati & educati sunt, ad veram fidem (citra quam non est Salus) convertantur. Indesinenti ergo gratitudine, tam ingenti, tamque gratuito Dei

(*a*) Cor. ℣. 19. (*b*) Matth. 16. ℣. 18.
(*c*) 1. Cor. 11. ℣. 19. (*d*) S. Aug. Enchirid.
(*e*) Rom. 8. ℣. 28.

beneficio respondendum est, præsertim vitâ, fide nostrâ & Deo dignâ.

CAPUT IV.

De Symbolo Apostolorum : primo illius Articulo : Deo Uno & Trino.

QUæstio I. *Exstatne brevis aliqua complexio ac summa eorum omnium quæ homini Christiano credenda sunt?*

℞. Exstat, nimirum illa quæ *Symbolum Apostolorum* dici consuevit. Ut enim inviolabilis permaneret fidei unitas, dum idipsum ubique sentirent omnes ac dicerent, priusquam in varias orbis partes dividerentur Apostoli, brevem credendorum formulam in commune contulerunt velut illustrem notam quâ Christiani ab impiis, qui vel nullam, vel non rectam Christi fidem profitentur, discernendi ac internoscendi sint.

Est & aliud celebre in Ecclesia fidei Symbolum, quod propter exortas hæreses, in *Nicæna* & *Constantinopolitana* Synodis conditum est, ab illo Apostolico minimè dissentiens, sed pro necessitate temporum quædam disertiùs explicans. Id in missa recitatur.

Tertium quoque quod *S. Athanasii* nomine inscribitur, sed solius Ecclesiæ authoritate receptum est.

Q. 2. *Quot partes præcipuas complectitur Symbolum Apostolorum?*

℞. Tres, quarum prima Patri tribuit creationem & omnipotentiam : secunda Filio redemptionem humani generis : tertia Spiritui S. Sanctificationem. Duodecim interim veritates principales continet, quæ *articuli* nominantur. Primus est,

CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM CŒLI ET TERRÆ.

Q. 3. *Quisnam in compendio illorum verborum sensus est?*

℟. Hic videlicet: certâ & indubitatâ fide credo ac profiteor primam in Deitate personam, *Patrem* æternum, verum ac vivum Deum, qui ex omni æternitate *Filium* sibi coæqualem *genuit*, nosque hoc tempore gratiæ in *filios* sibi *adoptavit*: quique *omnipotenti* sua virtute cuncta ex nihilo produxit, & indesinenti providentiâ producta conservat, gubernat ac dirigit.

Sed verba singula paulo distinctiùs explicanda sunt.

Q. 4. *Quid* est DEUS?

℟. *Ens à se*, (*a*) independens planè ab omni alio, fons & origo cæterorum, illimitatum proinde & infinitum, quo melius aut præstantius cogitari nullum potest, summum, immensum, æternum & incommutabile bonum.

Cæterum inter hujus mortalis vitæ tenebras, imperfecta admodum & obscura est nostra de divina natura cognitio, faciliusque novimus quid non sit, quàm quid sit *Deus*.

Q. 5. *Certumne est* Deum *existere*?

℟. Id non ex fide tantum, sed vel ex solo naturalis rationis lumine tam certum est, ut solus (*b*) *insipiens in corde suo* (affectu potiùs quam assensu) dicere possit, *Non est Deus*.

Dico *affectu potiùs quam assensu*, quia nemo ad tantam impietatem venit nisi per insignem cordis, sive voluntatis depravationem, neque adeò sibi persuadet, quàm vellet non esse Deum, quâ debitam flagitiis suis vindictam infligat.

(*a*) Exod. 3. ℣. 14. (*b*) Psalm. 13. ℣. 1.

Q. 6. *Quibus ergo rationibus unusquisque quantumvis rudis* Dei *de existentia semetipsum convincere potest?*

℟. Attenta mente considerare sufficit speciosissimam hujus universi fabricam, stabilemque illam quâ administratur legem. Ipsa quoque corporis nostri tam admiranda structura nos abunde convincit. Nam hæc omnia temerè & fortuitò coaluisse, quis nisi insensatus credat? Denique creaturæ omnes tacitâ quâdàm voce proclamant, (*a*) *Ipse fecit nos, & non ipsæ nos.*

Q. 7. *Estne similiter certum,* unum *tantùm Deum esse?*

℟. Est planè, usque adeò ut plures esse sit impossibile. Nam cum Deum dicimus, nihil aliud quàm summum, immensum, æternum & incommutabile bonum significamus; quod autem summum & absolutissimum est, impossibile est, ut *multiplicatum* inveniatur in pluribus. (*b*) Deos „ ergo plures, perinde est ac nullos dicere.

Q. 8. *Quid hoc loco nobis indicat nomen* Pater?

℟. Quod in una divinitatis essentia credenda sit pluralitas personarum.

Personæ sunt tres, prima *Pater* à nullo genitus: secunda *Filius*, quem ante omnia sæcula æqualem sibi, & *consubstantialem* Pater genuit: tertia *Spiritus S.* qui ab æterno ex Patre Filioque procedit.

Q. 9. *Numquid hinc convincantur Christiani æquè ac gentiles plures Deos credere?*

℟. Minimè; Trium quippè personarum unam & eandem confitentur esse substantiam ac naturam, illasque suis tantùm *proprietatibus* esse distinctas.

(*a*) Psal. 99. ℣. 3. (*b*) S. Athanas. cont. Gentil.

Sunt autem *proprietates* istæ, (*a*) quod Pater sit *ingenitus*, & principium sine principio: Filius à Patre solo *genitus*: Spiritus S. nec factus nec genitus, sed ab utroque *procedens*.

Q. 10. *Poteſtne humana ratio Myſterium hoc intellectu aſſequi?*

℟. Nullo modo; neque curiosiùs exquirendum est, ne si quis (*b*) *ſcrutator ſit majeſtatis opprimatur à gloria*. Qui curiosè scrutati sunt, hæreses invexerunt, (ut Arius & Macedonius, quorum ille abjudicavit divinitatem Filio, hic Spiritui Sancto) quas in Conciliis (*c*) *Nicæno* (*d*) *Conſtantinopolitano* damnavit Ecclesia.

Nobis sufficiat Dei revelantis auctoritas, cui jam plenâ animi submissione credentes, certâ cum fiduciâ expectare debemus felicissimum illud tempus, quo divinæ gloriæ incomprehensibilem Majestatem, facie ad faciem contemplabimur.

CAPUT V.

De omnipotentia, aliiſque Dei attributis & perfectionibus.

OMNIPOTENTEM.

QUæst. 1. *Cur Deum Patrem* omnipotentem *dicimus?*

℟. Quia nihil animo aut cogitatione fingi potest, quod, cum vult, non fiat, (*e*) *Omnia*

(*a*) Vide Symbolum quod *S. Athanaſii* dicitur.
(*b*) Proverb. 25. ℣. 27.
(*c*) Celebrata est 1. Synodus OEcumenica *Nicæna* an. 325. sub Sylvestro Papa, & Constantino Magno Imperat.
(*d*) Celebratum est hoc Concilium generale Constantinopol. 1. an. 381. sub Damaso Papa & Theodosio Seniore Imperat.
(*e*) Psalm. 134. ℣. 6.

quæ cumque voluit. (a) *Dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.*

Nihil ipsi difficile, nedum impossibile.

Nec tamen hoc ita accipiendum est, quasi, cùm possit omnia, mentiri etiam possit aut fallere, peccare, mori aut ignorare quipiam; hæc enim omnia *infirmitatis* sunt, non *potentiæ*.

Q. 2. *Solusne* Pater *omnipotens est?*

℟. Filius & Spiritus S. sicut unam eamdemque habent cum Patre naturam, ita eamdem cum illo habent *Omnipotentiam*; cæteraque omnia, solas proprietates personales, *attributa*, Patri, Filio & Spiritui S. sunt communia.

Tribuitur interim & quasi appropriatur *Potentia* Patri, sicut *Sapientia* Filio & *Amoris* opera Spiritui S. propterea quòd Pater *principium sine principio*, totius divinitatis fons sit, omnisque *potestatis* origo: Filius ab *intellectu* Patris tamquam illius *Verbum*, & æterna *Sapientia* generetur: Spiritus S. autem per æternum Patris & Filii *amorem* mutuum, velut utriusque nexus ab utroque procedat.

Q. 3. *Cur præ cæteris Dei attributis*, Omnipotentia *hoc loco expressa est?*

℟. Ne dum deinceps mira Dei opera proponuntur, *curiosè* disquiramus an & quomodo illa fieri possint, in quibus utique tota ratio facti est omnipotentia facientis. *Spes* quoque nostra roboratur, quando qui promisit bona, quæ omne desiderium superant, ad hæc præstanda *Omnipotens* esse perhibetur.

Q. 4. *Recense alia Dei attributa & perfectiones præcipuas?*

℟. Cùm sit Ens omninò independens, ac sum-

(a) Psalm. 33. ℣. 9.

mè perfectum, quo melius aut præstantius cogitari nullum potest, necesse est ut sit, 1. æternus 2. immutabilis, 3. simplicissimus, ac 4. purus spiritus, 5. immensus, 6. atque omniscius.

1. ÆTERNUS dicitur Deus, quia principio & fine caret: semper fuit, semper erit: nihil illi præteritum, nihil futurum: existentiam quoque & vitam suam, non per partes, sed totam simul beatissimè possidet.

2. IMMUTABILIS dicitur, quia sine ulla (*a*) mutatione aut vicissitudine semper idem, semperque tranquillus est.

Q. 5. *Quomodo ergo interdum in Sacris Literis* irasci *aut* pœnitêre *Deus dicitur?*

℞. Metaphorica & captui rudium accomodata locutio est. *Irasci* dicitur, quia quod irati faciunt, scelerum vindictam exigit; *pænitêre* autem, si opus quod fecerat destruat, aut immutet, non mutando consilium. "Amas, inquit S. Augustinus (*b*) nec æstuas; zelas & securus es; pœnitet te & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas Consilium.„

3. SIMPLICISSIMUS Deus dicitur, quia omnium planè partium, omnisque mixtionis & compositionis expers. Proinde.

4. PURUS SPIRITUS est, omni corpore & corporea affectione carens, nec figuram habens, nec colorem, nec extensionem; nullo ergo sensu perceptibilis.

Q. 6. *Quid sibi volunt igitur multæ Sacræ Scripturæ locutiones, quibus Deo manus & brachia, variæque corporis functiones tribuuntur?*

℞. Et hæ quoque figuratæ sunt, ac metaphoricæ, ut ex iis homines, præsertim rudiores, di-

(*a*) Jacob. 1. ℣. 17. Malach. 3. ℣. 6.

(*b*) Lib. 1. Confess. cap. 4. Vide etiam Lib. 12. de Civit. Dei, c. 17.

versas Dei operationes facilius percipiant. Sic *Brachium* & *Manus* Potentiam Dei denotant, *Oculi* Scientiam &c.

5. Immensus dicitur Deus, quia nullis terminis circumscriptus, (*a*) ubique existit, impletque semetipso omnia; non per partes diffusus, aut in toto major, & in parte minor, sed ubique totus, nullibi comprehensus: continens omnia, nusquam contentus. (*b*) *In ipso vivimus, movemur, & sumus.*

6. Omniscius est, quia non tantùm *per essentiam* ubique sine extensione diffusam, & *potentiam* qua ubique operatur, producens & conservans; sed & *per præsentiam* quâ cuncta intuetur, adest intimè creaturis omnibus. (*c*) *Omnia ergo nuda & aperta sunt oculis ejus*, futura æquè ac præsentia atque præterita. (*d*) *Scrutatur corda & renes*, id est occultissimæ cogitationes & latentia cordis desideria ipsi plenè perspecta sunt.

Hæc porrò veritas perpetuò ob oculos versari debet homini Christiano, ut in præsentia Supremæ illius majestatis cum sancto castoque timore, totam vitam transigat.

CAPUT VI.

De creatione rerum, ac præsertim Angeli & hominis.

CREATOREM CÆLI ET TERRÆ.

QUæstio 1. *Quid hæc verba nobis indicant?*
℟. Quòd cum præter Deum nihil esset, ipse ab æterno in se beatus, sibique suffi-

(*a*) Psalm. 138. ℣. 7. Isai. 66. ℣. 1. Jerem. 23. ℣. 24.
(*b*) Actor. 17. ℣. 28. (*c*) Hebr. 4. ℣. 13.
(*d*) Psalm. 7. ℣. 10.

çientissimus, tantùm ut divitias bonitatis suæ ex se diffunderet, nulla necessitate, sed libera voluntate, cœlum terramque produxerit, producta conservet & sapientissimè administret, ita ut sine ejus nutu & providentia nihil planè usquam eveniat.

Cœli terræque nomine universa etiam intelliguntur quæ utriusque ambitu continentur visibilia & invisibilia; nulla quippe natura est quæ non sit aut Deus, aut à Deo facta.

Q. 2. *Quænam inter hæc divinæ creationis opera, sunt præstantissima?*

℟. Angeli & Homines.

Angelorum nomine intelligo creaturas intellectuales, ab omni corporum conjunctione segregatas, de quibus frequens fit in Sacris Litteris mentio.

Q. 3. *Ad quem finem hosce Spiritus Deus condidit?*

℟. Ad vitam, felicitatemque immortalem; idcirco sapientes eos fecit & justos, cum bona voluntate, id est, amore casto, quo illi adhærent, (*a*) simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.

Q. 4. *Omnesne finem istum consecuti sunt?*

℟. Multi quidem in Dei obedientia & amore perstiterunt, in gratia ità firmati sunt, ut semper videntes (*b*) *faciem Patris*, ab ea felicitate se nunquam casuros plenissimè sint securi.

Verùm alii se per superbiam contra Deum efferentes. (*c*) gravissimo lapsu exciderunt, æternisque suppliciis sine spe reparationis addicti sunt. Invidià interim adversùs homines tabescentes, istuc curas omnes impendunt, ut eos in eamdem secum perditionem pertrahant.

(*a*) Aug. lib. 12. de Civ. Dei c. 9.
(*b*) Matth. 18. ℣. 10. (*c*) 2. Pet. 2. ℣. 4.

Variis nominibus denotari solent; dicuntur enim *Angeli mali*, *Demones*, *Spiritus immundi*, *Spiritus nequitiæ*, *Spiritus tenebrarum*; eorum autem Princeps *Sathanas*, *aut Diabolus*.

Q. 5. *Suntne illi omnes in infernum detrusi?*

℟. Quamvis in sempiternum à facie Dei repulsi, inferni supplicia ubique secum ferant; donec tamen extremi judicii dies advenerit, plurimi (*a*) in hoc caliginoso aëre versantur, ubi pro sua malignitate (*b*) homines tentare non desinunt, ut Dei legem violent & justitiam derelinquant.

Q. 6. *Quodnam è contrario beatorum Angelorum officium est erga homines?*

℟. Deputavit eos Deus ut sint (*c*) *ad ministratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis*. 1. Itaque (*d*) preces hominum Deo offerunt. 2. Dei voluntatem hominibus annuntiant, & pro iisdem mira subinde operantur. (*e*) 3. Constituit eos Deus, Ecclesiarum, provinciarum singulorum hominum custodes ac protectores; ità ut multa à supernis illis spiritibus in nos indies bona dimanent, quæ nostram vicissim venerationem & gratitudinem exigunt.

Q. 7. *Quomodo & ad quem finem creavit Deus hominem?*

℟. *Corpus* formavit ex limo: *animam* verò *immortalem* produxit ex nihilo; duas deinde hasce substantias tam dispares admirabili inter se unione conjunxit.

(*a*) Ephes. 6. ℣. 12. (*b*) 1. Pet. 5. ℣. 8.
(*c*) Heb. 1. ℣. 14. (*d*) Tob. 12. ℣. 12. Apoc. 8. ℣. 3.
(*e*) Dan. 9. Luc. 1. Psalm. 33. ℣. 8. & Psalm. 90. ℣. 12. Dan. 12. ℣. 1. Matth. 18. ℣. 10. Act. 12. ℣. 19. S. Basil. lib. 3. contr. Eunom. & super Psalm. 48. S. Bernard. lib. 5. de consider. cap. 4. & seqq. item Serm. 12, in Psalm. 90.

Cæterum non alius condendi hominis *finis* fuit, ut hîc per obedientiam Deo jugiter adhærens, ad eamdem cum Sanctis Angelis *felicitatem* perveniret.

Hinc *secundùm animam* (*a*) *ad imaginem & similitudinem* Dei factus est, id est intellectu, voluntate & libertate præditus, omninò rectus, justus & sanctus.

Secundùm corpus, sanus & validus, nulli miseriæ subditus, a necessitate moriendi prorsus immunis, omnibus pravis & pudendis motibus vacuus.

Q. 8. *Eratne hæc primorum parentum integritas, innocentia & felicitas, ipsis solis propria?*

℟. Non, sed transmittenda ea erat ad posteros, si in cretoris sui obedientia perstitissent. Hæc porrò ab illis obedientia poscebatur, ut in agnitionem supremæ Dei potestatis, suæque ab illo dependentiæ, (*b*) ab unius fructu arboris abstinerent.

CAPUT VII.

De lapsu hominis, & Peccato Originali.

QUæstio 1. *Quomodo à primæva integritate & felicitate genus humanum excidit?*

℟. Invidiâ & fraude Diaboli, serpentis ore loquentis, communis omnium mater *Heva* (*c*) seducta est, & falsò credens se fore similem Deo, fructum vetitum comêdit, deditque *Adamo* marito suo, *qui & comêdit*: atque ita grande illud & ineffabile peccatum perpetratum est.

Q. 2. *Quæ transgressionem illam pœna secuta est?*

℟. (*d*) Sanctitatem & justitiam, in qua con-

(*a*) Gen. 1. ℣. 26. (*b*) Gen. 2. ℣. 17.
(*c*) Gen. 3. ℣. 6. 1. Tim. 2. ℣. 14.
(*d*) Concil. Trident, Sess. 5. de peccat, orig. Can. 1.

ftituti fuerant primi parentes nostri, statim amiserunt, incurreruntque per illam prævaricationis offensam, iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam illis antea (*a*) comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub diaboli potestate, totique secundùm corpus & animam in deterius commutati sunt.

Q. 3. *Hæc autem prævaricatio solisne illis transgressoribus nocuit?*

℟. Minimè verò; (*b*) nam acceptam à Deo sanctitatem & justitiam, quam *Adamus* perdidit, non sibi soli, sed nobis etiam perdidit: & inquinatus per illud inobedientiæ peccatum, non tantùm mortem & pœnas corporis, sed & ipsum peccatum, quod mors est animæ, in omne genus humanum transfudit, testante Apostolo quòd (*c*) *per unum hominum peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Hoc est peccatum illud quod *Originale* dicitur (*d*) quià ab origine inest unicuique proprium, & propagatione non imitatione contrahitur. Per hoc tam generale delictum universa natura humana donis *gratuitis* spoliata, & in naturalibus *vulnerata* est.

Q. 4. *Recense præcipua lapsi hominis* VULNERA.

℟. Primum vulnus *ignorantia* intellectum reddit non tantum mille obnoxium *erroribus*, sed vanè etiam *curiosum*, & seipsum cohibere nescium.

2. *Malitia* voluntatem vehementer inclinat ad malum (*e*) *ab Adolescentia*, imo pueritia nostra.

3. *Infirmitas* & 4. *concupiscentia* appetitum inferiorem concernunt, qui per justitiam origina-

(*a*) Gen. 2. ℣. 17. & cap. 3. ℣. 19.
(*b*) Conc. Trid. ibid. Can. 2. (*c*) Rom. 5. ℣. 12.
(*d*) Concil. Trid. ibid. Can. 3. (*e*) Gen. 8. ℣. 21.

lem omninò subditus rationi, post peccatum indomitus & effrænis factus est. *Infirmitate* fit, ut facilè succumbamus malis, sive adversis : *concupiscentiâ* verò ad bona sensibilia immodice proritamur.

Q. 5. *Numquid præter hæc peccati illius vulnera, aliæ quædam pœnæ sunt, quas tota cum* Adamo *posteritas ejus incurrit?*

R. Sunt utique, & in hac vita quidem, *ira Dei* & *captivitas sub Diabolo*, ità ut verè (*a*) *filii iræ* Dei, *&* *mancipia diaboli* nascamur omnes (Sanctissima Christi Mater cum de peccatis agitur semper excepta est.) Deinde *necessitas moriendi*, cæteraque quæ nobis undecumque accidunt mala & ærumnosa, à primo nostri ortûs initio.

Post hanc vitam, nisi regeneratione mundetur quod generatione contractum est, æterna damnatio illi peccato pœna statuta est.

Q. 6. *Justumne est* Adami *&* Hevæ *posteros hanc pœnam subire peccati quod ipsi non commiserunt?*

R. Omnia Dei judicia justissima sunt; & certe æquum est, ut peccati pœnam subeant, qui illo tenentur obstricti.

Q. 7. *Sed quomodo fieri potest ut rei simus, & teneamur obstricti peccato, quod multis sæculis priusquam nasceremur admissum est?*

R. Ineffabili quodam modo, voluntates omnium nostrûm in voluntate primi parentis ità continebantur, ut Apostolo teste, (*b*) in ipso omnes peccaverimus.

Cæterùm fatendum est *peccatum originale* mysterium esse, sicut pleraque fidei nostræ, prorsus

(*a*) Ephes. 2. ℣. 3, (*b*) Rom. 5. ℣. 12.

incom-

incomprehensibile ; sublatâ tamen illius notitiâ ; homo ipse sibi est inextricabilis labyrinthus, & profundissima difficultatum abyssus, dum hinc primævæ felicitatis ideam, ejusque insatiabile desiderium in se perspicit : illinc autem infirmitatem suam, innumerasque miserias reipsâ experitur. Denique illius peccati fides, in quo concepti & nati sumus, fundamentum est humilitatis, gratitudinis, abstinentiæ, totiusque adeò moralis Christianæ.

Q. 8. *Quod verò grandis illius peccati remedium fuit.*

℟. Sicût rebelles angeli, itâ & genus humanum irreparabiliter periisset ; nisi ineffabili misericordiâ suâ decrevisset Deus huic dare redemptorem, qui, quod homo non poterat, dignam læsæ ejus justitiæ satisfactionem exhiberet.

Hunc mox à lapsu hominis (*a*) promisit Deus, desiderârunt Patriarchæ, prænuntiârunt Lex & Prophetæ, ipseque tandem cùm venisset (*b*) *plenitudo temporis*, elapsis ut minimùm quatuor circiter annorum millibus, (*c*) *in terris visus est & cum hominibus conversatus.*

CAPUT VIII.

Brevis Sacræ Historiæ & Religionis series ab ADAMO *usque ad* MOYSEM.

QUæstio 1. *Quid de primis parentibus nostris post lapsum eorum factum est?*

℟. (*d*) Pulsi è *Paradiso*, id est illo amœnitatis loco in quo primùm constituti fuerant, pœnitentem vitam egerunt, atque *ex meritis* ven-

(*a*) Gen. 3. ℣. 15. (*b*) Galat. 4. ℣. 4.
(*c*) Baruch. 3. ℣. 38. (*d*) Gen. 3. ℣. 23.

turi Redemptoris (*a*) è peccato suo educti, & misericordiam consecuti sunt.

Q. 2. *Quid de eorum filiis Sacra Scriptura commemorat?*

℟. Ex multis (quos post peccatum omnes, adeòque peccato originali obnoxios genuerunt) tres tantum recensentur, *Abel*, *Cain*, & *Seth*.

Cain primus justitiæ persecutor, innocentem *Abelum* ex invidia interêmit. Liberos autem sibi in impietate similes genuit.

In familia quidem *Sethi* sincerus Dei cultus diutiùs substitit; verùm ubi & hujus posteritas affinitate jungi, & commisceri cæpit impiis, totus terrarum orbis malitiâ & impietate quasi inundatus fuit (*b*) *Noë* tamen justus & innocens coram Deo inventus est.

Q. 3. *Sinitne Deus tantam hominum malitiam impunitam?*

℟. Nequaquam, (*c*) sed *Noëmo* imperavit ut ingentem quamdam *Arcam*, sive navigium appararet, quod, ut pœnitendi spatium largiretur, centum annis ædificari Deus voluit. Mandavit deinde ut inductis in *Arcam* omnis generis animantibus, ipse quoque cum tribus filiis *Semo*, *Chamo*, & *Japheto*, uxoribusque suâ & trium filiorum, in Arcam ingrederentur. Reliquos autum homines omninò omnes, cæteraque animantia aquæ universalis *Diluvii* absumpserunt. Atque huc usque *prima* (ut vocari solet) *mundi ætas* extenditur.

Q. 4. *Quid verò transacto* Diluvio *memorabile contigit?*

℟. A tribus *Noëmi* filiis novi homines pro-

(*a*) Sap. 10. ℣. 2. (*b*) Gen. 6. ℣. 8.
(*c*) Gen. 6. ℣. 7. & 8.

pagati, priusquàm in varias terræ partes dividerentur, ad celebrandum nomen suum, (a) *Turrim* machinati sunt, cujus fastigium ad cœlum pertingeret. Verùm arrogantiæ suæ pœnam tulerunt *confusionem linguarum*, perpetuum utique humanæ imbecillitatis & vanitatis monumentum.

Q. 5. *Sanctiùsne vixerunt homines post, quam ante* Diluvium?

℟. Non, sed paulàtim sui Creatoris obliti, cæteris criminibus summum omnium addiderunt (b) *indololatriam*, id est, cultum soli Deo debitum ad creaturam transtulerunt.

Q. 6. *Quomodo impedivit Deus, ne verus sui cultus ubique penitùs aboleretur?*

℟. Gratuitâ misericordiâ (c) elegit *Abrahamum* è *Semi* posteritate, ut ex illo nasci faceret populum suo cultui singulariter destinatum. Populus hic primùm *Hebræus*, deinde *Israëliticus*, postremò *Judæus* dictus fuit Cæteros interim populos occulto, sed justo judicio, corruptioni suæ permisit Deus, alteri sæculo reservans punitionem tantò severiorem.

Q. 7. *Quid* Abrahamo *injunctum est, quando in illius populi patrem divinitùs electus fuit?*

℟. Jussus est natalem terram deserere, & in signum fœderis cum Deo initi, seipsum (d) totamque posteritatem suam masculam *circumcidere*. Hoc autem circumcisionis signo (quod *Baptismi* figura erat) à cæteris populis Abrahimi posteri secernebantur.

Q. 8. *Quid favoris, aut gratiæ singularis Hebræo populo Deus præstitit?*

℟. 1. Quidem Abrahamo promisit *Christum* ex ejus semine nasciturum.

(a) Gen. 11. (b) Vide Sap. 13. & 14.
(c) Gen. 12. (d) Gen. 17.

2. Promisit posteritati ejus daturum se terram *Chanaan*, lacte & melle manantem.

3. Hebræum Populum sub tutelam suam ita assumpsit, ut, ubi opus fuit, miris eum prodigiis sæpe protexerit.

4. Suam illi *legem* dedit.

5. Denique varios variis temporibus *Prophetas* misit, qui ventura prædicerent, impios redarguerent, & probos in veritate & justitia confirmarent.

Q. 9. *Quomodo electus ille Dei populus formatus fuit?*

℟. *Abraham* (*a*) præter communem naturæ ordinem (ut Deus antè promiserat) ex uxore sterili nonagenaria, ipse centenarius filium genuit *Isaacum*, qui fuit pater *Jacobi* (qui novo postmodum nomine *Israël* dictus fuit) ex quo 12. filii nati sunt qui, quòd fuerint Patres 12. *Tribuum*, sive primarum familiarum populi Israëlitici, *Patriarchæ* dicti sunt. Sunt autem RUBEN, SIMEON, LEVI, JUDAS, ISSACHAR, ZABULON, DAN, NEPHTALI, GAD, ASER, JOSEPH, & BENJAMIN.

Cæterum *Tribus Joseph* duas complexa est, quæ ex nominibus filiorum ejus, quos *Jacobus* sibi adoptârat, Tribus *Ephraim* & *Manasses* dictæ sunt. *Levitica* autem in numero, 12. *Tribuum* numerata non fuit, tum quia Sacerdotio & ministerio altaris tota deputabatur, tum quia in terra promissa singularem ut cæteræ, possessionem non obtinuit.

Q. 10. *Quid inter* Jacobi *filios maximè memorabile contigit?*

℟. *Josephi* venditio (*b*) hic quòd à patre plus cæteris amaretur, & nonnulla prætereà de se

(*a*) Gen. 21. (*b*) Gen. 37.

somnia retulisset, fratrum incurrit invidiam. Ab his,, Ismaëlitis venditus, in Ægyptum ductus est, ubi variâ sorte usus, post tentationes & afflictiones varias ad primam à Rege dignitatem evectus est; sic Deo mirabiliter providente, ut in diuturnæ famis angustia, & Ægypto & suis incolumitatem præstaret.

Ita etiam factum est ut universa Jacobi familia tantisper in Ægypto domicilium fixerit, ubi brevi tempore crevit in ingentem populum.

CAPUT IX.

Religionis series à Moyse *usque ad* Davidem.

Quæstio 1. *Quid post Josephi mortem* Israëlitis *in Ægypto accidit?*

℟. Multis annis durissimâ servitute pressi, per *Moysen* tandem ex ea educti sunt.

Q. 2. *Recense in compendio seriem gestorum* Moysis?

℟. Ne populus Israëliticus in immensum cresceret, (*a*) omnes Hebræorum masculos mox ut nati essent, in flumen præcipitari jusserat *Pharao*, novus post *Josephi* mortem Rex Ægypti, Israëlitarum hostis atrocissimus.

Hoc persecutionis tempore (*b*) natus Moyses, postquam trimestri spatio metu Regis absconditus fuerat, aquis Nili exponitur; inde à *Pharaonis* filia ereptus, suæ matri educandus traditur. Ab illa deinde adoptatus, (*c*) omni disciplinarum & scientiarum genere in Ægypto instruitur. (*d*) Quadraginta annos natus, popu-

(*a*) Exod. 1. (*b*) Exodi. 2.
(*c*) Act. 7. ℣. 22. (*d*) Ibid. ℣. 23.

lares suos vindicare cœpit, *percusso Ægyptio* qui Hebræo cuidam inferebat injuriam.

Ob Pharaonis iram profugus in Madianitidem Arabiæ regionem, (*a*) elapsis aliis 40. annis, cum pasceret oves *Jethro* soceri sui, à Deo (*b*) in rubo ardenti & incombusto sibi loquente, in Ægyptum missus est, ut Israëlitas ab Ægyptiorum servitute liberaret adjuncto illi legationis comite fratre *Aarone*.

Post varias, propter obduratum Regis animum, (*c*) *Ægypti plagas*, omnesque præsertim primogenitos, unius noctis spatio repentinâ morte sublatos, *Israëlitæ* ab Ægyptiis, qui hucusque obstiterant, exire compulsi, (*d*) per mare *rubrum* sicco vestigio transierunt, in quo Ægyptii persequentes omnes cum Pharaone submersi sunt.

Q. 3. *Numquid ejusdem* MOYSIS *ministerio Israëlitæ* LEGEM *acceperunt ?*

℟. Ita; veterem scilicet illam, totamque (*e*) præfigurativam, quæ sacrificiis cæremonisque suis omnibus prænuntiabat præstantiorem aliam sibi successuram, ac præsertim illius auctorem, Mediatorem Dei & hominum CHRISTUM JESUM.

Hâc porrò ratione data est. Quinquagesimo die ab exitu ex Ægypto, è monte Sinaï, inter fulgura ac tonitrua, & horrificum buccinæ sonitum, (*f*) *Decalogum* Deus universo populo promulgavit, &, in duabus Tabulis lapideis descriptum, *Mosi* tradidit (*g*) Has cum *Moses* propter flagitium populi, vitulum aureum adorantis, confregisset, (*h*) *Novas* deinde à Deo accepit in *Arca fœderis* perpetuò asservandas.

(*a*) Act. 7. ℣. 30. (*b*) Exod. 3. & 4.
(*c*) Exod. 7. ℣. 8. 9. 10. 11. 12. (*d*) Exod. 14.
(*e*) 1. Cor. 10. ℣. 11. (*e*) Exod. 20.
(*f*) Exod. 32. (*g*) Exod. 34.

Præter has leges *morales*, aliæ quoque adjunctæ sunt, tum quæ ad sacrificia divinique cultus *cæremonias*, tum quæ ad exercenda *judicia*, justitiamque administrandam pertinerent.

Q. 4. *Cuinam familiæ* Sardototium *dari voluit Deus?*

℟. Familiæ Aaronis fratris *Mosis*. Cæteri de Tribu Levi, inferioribus Altaris ministeris deputati sunt. Cæterùm qui contrà hanc Dei (*a*) *Vocationem* Sacerdotium sibi vindicare conati sunt, Core, Dathan & Abiron cum asseclis suis, partim dihiscente terrâ, partim incendio perierunt.

Q. 5. *Quanto tempore in diserto commorati sunt Israëlitæ?*

℟. 40. Annis, quo toto tempore datus est illis de cœlo cibus qui (*b*) Manna dictus fuit. Ex sexcentis autem virorum millibus (tot enim præter mulieres & parvulos ex Ægypto egressi sunt) nullus in Terram Promissam *Chanaan* ingressus est, præter Caleb & Josuë Cæteri omnes in deserto mortui sunt, quorum alii propter incredulitatem, frequentesque contrà Deum & Mosem murmurationes terrâ absorpti, alii gladio percussi, alii igne, alii ab ignitis serpentibus perierunt.

In hujus ultimi mali remedium (*c*) Serpens Æneus erigi jussus, ut qui eum aspicerent, à serpentum moribus sanarentur, expressissima fuit Christi Crucifixi figura.

Q. 6. *Quis Israëlitas in terram promissionis induxit?*

℟. Josuë, (*d*) qui *Mose* mortuo dux populi factus

(*a*) Num. 16. Heb. 5. ℣. 4.
(*b*) Exod. 16. ℣. 14. Num. 11. ℣. 7. Sap. 16. ℣. 20.
(*c*) Num. 21. ℣. 8. Joan. 3. ℣. 14.
(*d*) Vide Librum Josuë.

est, Hic nomine & rebus gestis Typus Christi salvatoris, obsistentes populos *Chananæos* maxima ex parte vicit, subjugavit, & delevit, eorumque regiones 12. Tribubus Israël possidendas, *sorte* divisit.

Q. 7. *Quid post mortem* Josuë *contigit?*

℟. (*a*) Populus identidem à Dei obsequio ad idola delapsus, variisque modis à vicinis populis vexatus & oppressus, dignissimas perfidiæ suæ pœnas dabat. Rediens autem ad pœnitentiam & fidelem Dei cultum, identidem etiam liberabatur, per homines singulariter plerumque à Deo suscitatos, quorum in libro *Judicum* res gestæ recitantur. Ità nempè in populo illo stabile edebatur exemplum divinæ providentiæ piorum benefacta remunerantis, atque impiorum scelera vindicantis.

Inter JUDICES celeberrimi sunt GEDEON, JEPHTE, SAMSON, HELI & SAMUËL, qui eorum fuit ultimus.

Q. 8. *Quo ergo regiminis genere usi sunt post* SAMUËLEM *Israëlitæ?*

℟. In morem cæterarum gentium (*b*) (cùm Deum solum haberent super se regnantem) *Regem* sibi dari poposcerunt à *Samuële* (*c*) Rex iis datus est SAUL, de Tribu Benjamin, quem Deus elegit, *Samuël* unxit, & *sors* populo declaravit. Hic quidem initio Deo gratus, (*d*) sed inobedientiæ merito postmodum rejectus fuit, ita ut potestas Regia ad aliam deinceps familiam Tribumque transierit.

(*a*) Vide Librum Judicum.
(*b*) 1. Reg. 8.
(*c*) 1. Reg. 10.
(*d*) Cap. 15. & 16.

CAPUT X.

Religionis Series, à DAVIDE *usque ad* CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

QUæstio I. *Quis in Regno Israëlitico* Saüli *successit* ?

℟. DAVID filius *Isaï* de *Tribu Juda*. Hic post (*a*) profligatam à se *Goliathum* immanis staturæ Gigantem, aliaque fortissimi animi facinora invidiæ *Saülis* obnoxius (*b*) graves ac diuturnas ab illo persecutiones sustinuit; quibus omnibus Deo mirabiliter protegente superatis, post (*c*) occisum in prælio à Philistinis *Saülem* cum filio *Jonatha*, (*d*) primò *Judæ*, ac deinde post 7. annos totius Israëlis Regnum plenâ auctoritate obtinuit.

(*e*) *Vir secundùm Cor Dei*, Princeps potentissimus, Propheta, Psalmographus, quàm nihil infirmitati humanæ fidendum sit, id quidem (*f*) *adulter* factus & *homicida*, luculenter ostendit: sed Deo miserante ad se reversus non minus luculentum dedit (*g*) sinceræ pœnitentiæ exemplum.

Sicut autem (*h*) *Abrahamo*, ita & (*i*) *Dauidi* singulariter promissum fuit, fore ut ex ejus semine CHRSTUS nasceretur.

Q. 2. *Quem habuit* David *Regni sui successorem*.

℟. SALOMONEM (*k*) filium suum. Hic quam optarat, (*l*) *sapientiam* super omnes mortales

(*a*) 1. Reg. 17. (*b*) Cap. 18. & seqq.
(*c*) Cap. 31. (*d*) 2. Reg. 2. & 5.
(*e*) 1. Reg. 13. ℣. 14. (*f*) 2. Reg. 11.
(*g*) Cap. 12. Psalm. 50. &c. (*h*) Gen. 12. ℣. 3. & cap. 22. ℣. 18.
(*i*) 2. Reg. 7. ℣. 12. Psalm. 131. ℣. 11.
(*k*) 3. Reg. 1. (*l*) Cap. 3.

adeptus, nimiâ demum prosperitate enervatus, & (*a*) prodigioso mulierum amore infatuatus fuit.

Nihilominùs Rex pacificus *Pacifici Regis Christi* in multis typum gessit. (*b*) TEMPLUM quoque ipse Hierosolymis extruxit magnificentissimum, cum à *Mose* ad id usque tempus in *Tabernaculo* portatili, quod olim (*c*) Deo jubente constructum fuerat, Divini cultûs cæremoniæ peractæ fuissent.

Q. 3 *Quis Israëlitici Regni status fuit à morte* Salomonis?

℟. Mox à (*d*) ROBOAMO filio ejus decem Tribus avulsæ sunt per JEROBOAMUM duoque deinceps Regna in terra promissionis extiterunt: alterum complectens duas tantùm Tribus, Juda nempe & Benjamin, *Regnum Juda* dicebatur: alterum cæteras decem continens, *Regnum Israël* appellatum fuit.

Porrò Regnum Israël duce *Jeroboamo*, sub 19. quos habuit Regibus, in impietate & idololatria perstitit, donec per *Assyrios* (*e*) Regnum deletum, omnesque in captivitatem abducti sunt, numquam ultra ad pristinum Regnum redituri.

Q. 4. *Quid verò Regnum Juda?*

℟. Inter 20. Reges, nonnullos habuit excellenti pietate & religione præditos, inter quos eminent (*f*) *Josaphat*, (*g*) *Ezechias*, & (*h*) *Josias*; plures tamen malos & impietati deditos, quorum exemplum populus plerumque est imitatus.

Cùm autem sub SEDECIA ultimo Rege Juda, præstituta impietati mensura essent impleta, à

(*a*) Cap 11. (*b*) Cap. 6. (*c*) Exod. 26.
(*d*) 3. Reg. 12. (*e*) 4. Reg. 17.
(*f*) Josaphat 3. Reg. 13. (*g*) Ezechias 4. Reg. 16.
(*h*) Josias 4. Reg. 22.

(*a*) Nabuchodonosore capta, diruta & incensa sunt *Hierosolyma*, & plerique omnes Babylonem in captivitatem abducti, annis plus centum post deletum Regnum Israël.

Q. 5. *Numquid durante utroque Regno, Deus multipliciter commoneri & ad pœnitentiam vocari curavit Israëlitas?*

℟. Omninò id fecit per Prophetas, (*b*) viros utique dictis factisque mirabiles, quos identidem suscitavit, ut populo sua crimina demonstrarent, minas intentarent, ventura prædicerent, ac præcipuè Messiam prænuntiarent. Id autem sapientissimè Deus providebat; ut per prædictiones quas populus visurus esset impleri, remotioribus aliis de adventu Redemptoris indubitata fieret fides.

Prophetarum aliqui Scripta ediderunt, quæ nos usque pervenerunt, ut Isaias, Jeremias, Ezechiël, Daniël; Baruch item, & 12. qui, quod pauciora scripserint, vocatur *Minores Prophetæ*: alii non item, ut Elias & Elisæus Prophetæ sanctissimi, & rerum gestarum famâ celeberrimi.

CAPUT XI.

Series Religionis, à Captivitate Babylonica *usque ad* Christum.

Quæstio 1. *Quanto tempore duravit* Captivitas Babylonica?

℟. 70. Annis, ut (*c*) *Jeremias* Propheta futurum ante prædixerat.

(*a*) 4. Reg. 25.
(*b*) Idcircò à Deo mittebantur, ut & præcones essent majestatis ejus, & correctores pravitatis humanæ. Lactant. lib. 1. de falsâ relig. cap. 4. (*c*) Jerem. 25. ℣. 11.

Judæi itaque (*a*) libertati restituti per CYRUM Regem Persarum, orientis imperium recens adeptum, (*b*) inter multas vicinarum gentium infestationes, civitatem suam *Jerusalem* reædificarunt, *Templumque* denuò instaurarunt, structuræ quidem magnificentiâ impar primo, sed ob corporalem *Messiæ* præsentiam, quâ decoratum fuit, longè illustrius; quod quidem fore prædixerat (*c*) *Aggæus* Propheta.

Q. 2. *Quis deinde fuit status populi* Judaïci?

℟. Non legitur deinceps ad idololatriam *sponte suâ* fuisse prolapsus.

Nullos aliquamdiu reges habuit, sed *Persis* tributarius supremam tamen aliquam habebat potestatem. (*d*) Post mortem *Alexandri Macedonis* qui Persas deviceràt, Regibus Ægypti & Syriæ tributarius factus, multis insuper ab utrisque vexationes passus est; maximè sub ANTIOCHO ILLUSTRI Syriæ Rege, qui ut Judæos à sua Religione ad sacra gentilium transferret, acerbissimè in eos sæviit; (*e*) sed tandem inutiliter pœnitens, miserabili interitu sævitiæ suæ pœnas dedit.

Q. 3. *Quid ea occasione mirabile contigit?*

℟. Præter trucidationem plurimorum Judæorum, inprimis celebris fuit mors *Eleazari*; matris quoque cum 7. filiis, dictis vulgò MACHABÆIS. Post hæc, tam iniquiam Tyranni & usurpatoris oppressionem vindicare cœpit MATTHATHIAS, cum filiis suis JUDA, JONATHA, & SIMONE, qui alter alteri in ducatu populi succedentes, cum exiguo plerumque exercitu, Deo visibiliter protegente, formidabiles hostium copias

(*a*) 1. Esdr. 1. (*b*) Vide Libros Esdræ & Nehemiæ.
(*c*) Aggæe 2. ℣. 7. & seqq. (*d*) Vide Libros Machabæorum.
(*e*) 1. Machab. 6.

aliquoties profligarunt; usque adeò ut *Simon*, populi Princeps, & summus sacerdos, primus post reditum ex captivitate Babylonica, totius Judeæ *Principatum* obtinuerit. Hic deinde sub *Regni* nomine à *Simonis* posteris possessus fuit, donec HERODES (*a*) Religione quidem Judæus, sed natione Idumæus, impetrato à ROMANIS Regno, *Hyrcanum* legitimum illius possessorem expulit, atque ità translato à Judæis ad ALIENIGENAM principatu, necesse fuit ut in terris appareret tot retrò sæculis expectatus *Messias*, juxtà id quod Gen. 49. cap. moriens prædixerat Patriarcha JACOBUS, non auferendum scilicet Regnum & Principatum de *Juda* nisi veniret promissus Servator.

Q 4. *Agnoveruntne istud Judæi?*

℞. Tunc quidem (ut ex (*b*) Evangelio & antiquissimis historiis constat) communis erat penes eos traditio, tempus imminere quo juxta *Jacobi* & (*c*) *Danielis* vaticinia venturus erat MESSIAS, sed cum venisset externâ specie humilis & abjectus, (*d*) *sui eum non receperunt*, imò verò ignominiosissimâ morte multarunt.

Q. 5. *Quâ pœna tantum Judæorum scelus punitum fuit?*

℞. 40. Circiter annis post Christi mortem, (*e*) civitas eorum & Templum à Romanis funditùs deleta sunt. Ex ipsis in obsidione perierunt undecies centena millia. Reliqui toto orbe dispersi, sine Principe, sine Templo, sine Altari, sine Sacrificio, in sua pertinaciter hactenùs obstina-

(*a*) Joseph lib. 17. cap. 10. (*b*) Joan. 4. ℣. 25.
(*c*) Dan. 9. ℣. 25. (*d*) Joan. 1. ℣. 11.
(*e*) Vide *Joseph* de bello Judaïco lib. 17. & *S. August.* de Civit. Dei. lib. 18. cap. 45.

tione perseverant, (*a*) in fine demum sæculi convertendi.

Q. 6. *Quis fuit status* GENTILIUM *à vocatione* Abrahami?

℞. Penè omnes in criminibus & idololatria, summisque ignorantiæ tenebris vitam egerunt; quamquam fuerint aliqui (ut constat de (*b*) *Melchisedecho & Jobo*, quorum hic etiam Propheta fuit, & fortè scriptor divinitùs inspiratus) qui Deum verum veraciter colentes, legesque rectæ rationis implentes, in præstolatione Redemptoris mortui, & salvi facti sint.

Q. 7. *Quomodo ante Christi adventum salvari quisquam potuit, cùm pretium redemptionis nostræ necdum esset persolutum?*

℞. A Deo fuit acceptatum, multisque applicatum, tametsi nondum esset reipsâ oblatum: hinc Agnus ille qui tollit peccata mundi (*c*) *à mundi origine occisus* dicitur, in Dei nempe prævisione & acceptatione.

Q. 8. *Quare tot crimina, tantamque impietatem permisit Deus ante Christi adventum?*

℞. Dei justitia & æquitas impenetrabile nobis est Sacramentum. Quamquam hæc ratio dari solet, ut nempe homines, rationis naturalis & virium suarum infirmitatem longâ experientiâ edocti, ad venturum *Redemptorem* ardentiùs suspirarent.

CAPUT XII.

De Adventu Christi, & secundo Symboli Articulo.

QUæstio 1. *Certumne est expectatum illum Redemptorem jam advenisse?*

℞. Omninò certissimum est. Quippe *Pro-*

(*a*) Rom. 11. ℣. 26. (*b*) Gen. 14. (*c*) Apoc. 13. ℣. 8.

phetiæ (quas non fictas sed multis ante sæculis de Messiæ adventu reverà editas fuisse, ipsi nobis testes sunt inimici nostri maximè capitales Judæi) omnes in persona Jesu Christi evidenter impletæ sunt.

Q. 2. *Recense nonnullas, ut quod dictum est, clariùs liqueat*

℟. 1. Prædixerunt prohpetæ (*a*) variis in locis, per Messiæ adventum *Gentiles* ad veri Dei notitiam cultumque vocandos, (*b*) *Judæos* verò excæcandos & obdurandos esse. Utrumque à multis sæculis videmus impletum.

2 Prædixit Patriarcha *Jacobus*, quòd (*c*) *non auferretur sceptrum de Juda, & dux femore ejus, donec veniret qui mittendus est*, id est Messias. Translatâ à Judæis ad alienigenam *Herodem*, natione Idumæum, potestate Regiâ, pauco post tempore in Bethlehem Jesus natus est. Eo verò tempore quo Christus passus est, agnoverunt ipsi Judæi, (*d*) *non habere se Regem nisi Cæsarem*, Tiberium scilicet, Romani orbis principem. Denique luce meridianâ clarius est, jam saltem à multis sæculis, ab universâ Judæorum natione, omnem Regis, & dignitatem, & potestatem, sine ulla spe recuperationis, esse ablatam.

3. Prædixit (*e*) *Daniël*, revelante Archangelo Gabriële fore ut post 70 Hebdomadas ab edicto de reædificandis Hierosolymis, Christô à Judæis occisô, eorum civitas cum sanctuario dissiparetur, perpetuaque deinceps esset illius vastitas ac desolatio. Hoc iterum manifestè impletum est, & quidem præfixo tempore, in persona Jesu Chri-

(*a*) Psalm. 71. ℣. 8. & 17. Isai. 2. ℣. 2. Jer. 16. ℣. 19. Oseæ 2. ℣. 1. & 24. &c. locis penè innumeris.
(*b*) Isai. 6. ℣. 9. & 10. (*c*) Gen. 49. ℣. 10.
(*d*) Joan. 19. ℣. 15. (*e*) Dan. 9. ℣. 24.

sti, qui post elapsas ab edicto *Artaxerxis Longimani* persarum Regis sexaginta novem annorum hebdomadas, à rebellibus Judæis occisus est.

4. Cùm post captivitatem Babylonicam *Templum* reædificaretur, nonnullis inter Judæos plorantibus, quòd in magnificentia tantò esset impar primo, prædixit (*a*) *Aggæus* Propheta, fore ut post modicum tempus *veniret desideratus cunctis gentibus*, & domus hæc novissima tantâ (ab illius utique præsentiâ) gloriâ impleretur, ut hâc in parte priorem longissimè superaret. Porrò à tot jam sæculis *Templum* istud destructum est funditùs, venit ergo MESSIAS.

Atque id est, quod profitemur secundo, & sequentibus articulis Symboli Apostolorum.

Secundus Articulus est:

ET IN JESUM CHRISTUM, FILIUM EJUS UNICUM, DOMINUM NOSTUM.

Q. 3 *Quid indicat hoc nomen* JESUS?

℟. Hebræum est, idem valens ac latinè *Servator*. Nomen est quod Messiæ, priusquam in utero Virginis conciperetur, impositum est per angelum *Gabriëlem*, hâc addita ratione, (*b*) *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Q. 4. *Quid verò nomen* CHRISTUS?

℟. Græcum est, idem sonans ac Hebræum *Messias*, & latinum *unctus*.

Ungebantur olim Sacerdotes, Reges, & Prophetæ. Quia igitur Salvator Noster (*c*) plenus omni gratiâ & veritate, (*d*) Spiritu Sancto invisibiliter unctus est, ut sit Rex, Sacerdos & doctor noster, idcircò CHRISTUS dicitur.

[*a*] Agg. 2. ℣. 7. &c. [*b*] Matth. 1. ℣. 21.
[*c*] Joan. 1. ℣. 14. [*d*] Psalm. 44. ℣. 8.

Rex no-

Rex noſter eſt, quippe qui pro nobis ipſe pugnavit, & (*a*) fortem armatum, à quò detinebamur captivi, vicit, & (*b*) ſpoliatum ejecit foras.

Sacerdos eſt (*c*) *in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, qui ſemel in ara crucis cruento modo hoſtiam obtulit ſemetipſum Deo, incruento autem modo etiamnum indies per Sacerdotes miniſtros ſuos, (*d*) *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Propheta etiam eſt, id eſt Doctor & magiſter noſter, qui ſolus (*e*) *docet hominem ſcientiam*, ita quidem ut niſi ille intus doceat, fruſtrà cujuſlibet hominis lingua laboret.

Q 5. *Quid ſequentia verba indicant* : Filium ejus unicum?

℟. *Unicus Dei filius* dicitur, quia non adoptivus ſed naturalis, ſoluſque ex Patre ab æterno genitus, Patri *conſubſtantialis*, & ſecundùm Divinitatem omninò æqualis. Sunt quippe & alii qui *filii Dei* vocantur, ſed minùs propriè, per adoptionem tantùm, non per naturalem ex Deo Patre nativitatem.

Q. 6. *Quâ ratione Jeſum Chriſtum* Dominum noſtrum nuncupamus?

℟. Tum quia Deus noſter eſt, tùm quia nos peccato perditos jugoque peccati & damnationis obnoxios liberaliſſimâ bonitate redêmit. Pleniſſimo ergo jure *Dominus* eſt, credentium præſertim atque juſtorum, in quibus per Fidem, Spem, & Charitatem dominatur. Quamquam & impiorum Dominus ſit tum quia redimendis omnibus venit, tum quia (*f*) pedibus ejus ſubjecta ſunt

[*a*] Luc. 11. ℣. 22. [*b*] Joan. 12. ℣. 31.
(*c*) Pſalm. 109. ℣. 4. Heb. 5. ℣. 6. (*d*) Heb. 7. ℣. 25.
(*e*) Pſalm. 93. ℣. 10. (*f*) 1. Cor. 15. ℣. 26.

omnia, omnesque aliquando hostes suos, quantumvis invitos, suæ subjiciet potestati, ac veluti (*a*) paleam igne comburet inextinguibili.

CAPUT XIII.

De tertio Symboli Articulo: id est incarnatione, Conceptione & Nativitati Jesu Christi.

QUæstio I. *Quid credendum proponit tertius Articulus*: QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO, NATUS EX MARIA VIRGINE?

℟. Continet quòd idem ille Dominus, qui jam indè *ab æterno* à Deo Patre genitus est *sine matre*, propter nos homines & propter nostram salutem de cœlo (*b*) descenderit (quod tamen numquam dereliquit) humanamque assumpserit naturam, in qua *temporaliter* conceptus sit & *natus* ex illibata Virgine, *sine patre*: ità videlicet operante in ea Spiritûs S. virtute, ut [quod omnem vim intellectus nostri superat,] [*c*] *Verbum Caro* fieret, id est, qui ab æterno Deus erat, in tempore esset homo, & *Maria* simul Dei *Mater* esset & *Virgo*.

Q. 2. *Ut quæ in unum paucis congestæ sunt, distinctiùs innotescant, primum dici velim, quomodo vocari soleat mysterium illud de quo in hoc articulo agitur.*

℟. Mysterium INCARNATIONIS DOMINICÆ. Natura hominis animâ rationali constat, & *carne*, sive corpore; quamvis autem utrumque certò assumpserit Dei Filius [ut contra veteres [*d*] quosdam hæreticos profitetur Ecclesia] à parte

(*a*) Matth. 3. ℣. 12. (*b*) Joan. 3. ℣. 13.
(*c*) Joan. 1. ℣. 14. (*d*) Appollinaristas, &c.

tamen hominis infima myſterium hoc nomen accepit, ad commemorandam tam ſtupendam Dei erga nos benignitatem, noſtramque gratitudinem excitandam, quòd Dei Filius eòuſque propter nos ultrò ſe abjecerit, & quodammodo [*a*] *exinaniverit*.

Q. 3. *In quo conſiſtit igitur miſterium* Incarnationis Dominicæ?

℟. In eo quod Filius Dei, id eſt ſecunda perſona SS Trinitatis factus ſit Filius hominis, ità ut eadem perſona Jeſu Chriſti ſit verus Deus, & verus homo *Verus Deus*, quia ante omnia ſæcula genitus eſt æqualis & *conſubſtantialis* Patri; *verus homo* [*b*] quia corpus habet, animamque rationalem, per omnia ſimilis nobis, excepto peccato.

Q. 4 *Suntne ergò in Chriſto Jeſu* Duæ naturæ *&* una *dumtaxat* Persona?

℟. Sic planè credit & profitetur Eccleſia Catholica; unicam in Chriſto perſonam *Verbi Dei* agnoſcit contra *Neſtorium* damnatum in [*c*] *Concilio Ephesino*: duas tamen in eodem naturas eſſe profitetur, diſtinctas & inconfuſas, Divinam & humanam, contra *Eutychetem*, damnatum in *Concilio* [*d*] *Chalcedonenſi*.

Q. 5. *Eſtne etiam in Chriſto duplex voluntas*?

℟. Cùm duæ ſint in Chriſto naturæ, facultatibus, proprietatibus, & operationibus verè inter ſe diſtinctæ & inconfuſæ, duplicem quoque in ipſo eſſe *Voluntatem* neceſſe eſt, Divinam ſcilicet & humanam; ità quidem ut hæc illi pleniſ-

(*a*) Philip. 2. ℣. 7. (*b*) Heb. 4. ℣. 15.
(*c*) Celebratum eſt ſub *S. Caleſtino*. 1. Pontif. & *Theodoſio juniore* Imperatore an. 431.
(*d*) Celebratum eſt ſub *S. Leone* 1. Pontif. & *Marciano* Imperatore an. 451.

simè semper subdita sit, sed tamen naturali operatione distincta. Hoc contrà hæreticos MONOTHELITAS definivit Ecclesia in VI SYNODO generali Constantinopoli [a] celebrata.

Q. 6. *Solusne Filius, an Pater etiam aut Spiritus Sanctus homo factus est?*

Solus Filius, sive secunda persona SS. Trinitatis naturam humanam divinæ suæ *personæ* conjunxit. Hæc porrò *unio*, quâ natura humana Divinæ personæ conjuncta est, HYPOSTATICA dici consuevit.

Q. 7. *Quomodo grande illud & ineffabile Dominicæ Incardationis mysterium peractum fuit?*

℟. Virtute & operatione Spiritûs Sancti in utero Virginis Mariæ, ex purissimo ejus sanguine, efformatum est corpus humanum, eique anima rationalis infusa: quod utrumque, eodem temporis puncto, sibi conjunxit Filius Dei, Verbum æternum Patris

Q. 8 *Cur opus istud, quod toti SS. Trinitati commune est, singulariter attribuitur Spiritui Sancto?*

℟. Quia est opus immensæ charitatis & benignitatis Dei erga humanum genus: jam verò, cùm Spiritus S. per amorem à Patre Filioque procedat, divini *amoris* opera illi singulariter *attribui* solent.

Q. 9. *Potestne B. Virgo Maria veraciter appellari* MATER DEI

℟. Sic certè contrà *Nestorium* eam vocat Ecclesia, non satis habens, ut *Christipara* dicatur, nisi etiam credatur, & vocetur *Deipara*; non quia Divinitatem genuit [quod planè impossibile est] sed quia è suo sacratissimo utero talem Filium

[a] Sub *Agathone* Papa & *Constantino Pogonato* Imperatore, anno 680.

talemque personam in lucem edidit, quæ non tantùm homo est, sed simul Deus Atque hæc est eximia Virginis illius dignitas, quâ creaturas ceteras antecellit.

Q 10. *Quæ causa est, ob quam Dei Filius factus sit homo?*

℟. Prima quidem, Divinæ gloriæ illustratio. 2. autem ut (a) salvum faceret quod perierat, exhibendo condignam Deo satisfactionem pro peccatis generis humani, quod nisi ab eo qui simul Deus esset & homo præstari non potuit; nam si tantum Deus esset, pœnam homini debitam subire non posset: si verò tantùm esset homo, ad justitiæ rigorem satisfacere non posset.

Q. 11. *Quid à nobis exigit tam admiranda erga nos immeritos Dei benegnitas, quâ Filium suum unigenitum nobis dedit Redemptorem?*

℟. Ut tanti beneficii memoria numquam nobis excidat, sed in grata illius recordatione totam vitam transigamus.

CAPUT XIV.

De Vita Christi, *ab infantia usque ad ætatem* 30. *annorum.*

HOminis Christiani officium est, non ignorare vitam, & res gestas benignissimi Redemptoris sui; quocirca per aliquod deinceps Capita, hæc in compendio proponenda sunt, quæ à quatuor Evangelii Scriptoribus *Matthæo*, *Marco*, *Luca*, *&* *Joanne* fusiùs recitantur.

Q. 1 *Quid itaque de Jesu Christi* conceptione *narrat historia Evangelica?*

℟. Hanc exhibet illius rei seriem: (b) *Gabriël*

(a) Luc. 19. ℣. 10. (b) Vide Luc. 1.

Angelus [qui sex ante mensibus *Zachariæ* Sacerdoti nuntiaverat, ex ipso jam sene & *Elisabetha* uxore sterili, nasciturum filium *Joannem* Messiæ præcursorem] missus à Deo fuit in civitatem Galilææ, cui nomen *Nazareth*, ad eminentissimæ Sanctitatis Virginem, MARIAM nomine, de domo & familia Regis *David*, desponsatam viro *Justo*, cui nomen JOSEPH, ex eadem domo atque familia

Ingressus ad eam Angelus, post honorificam *salutationem*, legationem suam exequitur, & Virgini nuntiat, concepturam illam esse, & pariturain filium qui vocandus, sit JESUS, id est *Salvator* quique in solio *Davidis* patris sui perpetuo regnaturus sit, id quod de Regno spirituali per fidem & gratiam intelligendum est.

Virgo & Virginitate sua, quam illibatam se servaturam voverat, unicè sollicita, postquàm ab Angelo intellexit sine illius detrimento solâ Divini Spiritus operatione futurum, quod nuntiaverat, consensum præbuit, & repente *Dei Mater* effecta est.

Post hæc Divino spiritu acta, longo se itineri sine mora accinxit, ut *Elisabetham* cognatam suam, quem ab Angelo sex jam mensibus gravidam esse didicerat, visitaret. Hic Matrem Domini sui, suique Redemptoris præsentiam, Divinitùs mater & fœtus agnoscunt MARIA verò Dei Magnalia Divino *Cantico* celebrat.

Elapsis tribus mensibus, *Elisabeth* filium peperit, cui, quod Angelus pronuntiaverat, nomen JOANNIS imponitur. *Zacharias* pater ejus, qui, quòd dictis Angeli non sat promptam fidem habuisset, linguæ usum tantisper amiserat, hunc natô filiô recepit, divinoque Spiritu afflatus, instantem generis humani redemptionem celebri *Cantico* prædicavit.

Q. 2. *Quid de Christi* Nativitate *Evangelistæ memorant ?*

R. Cùm immineret *Virgini* pariendi tempus, occasione Edicti, quo *Cæsar Augustus* jusserat, (*a*) ut omnes Romano imperio subditi, nomen suum profiterentur, compulsa est *Maria* comitari sponsum *Josephum* proficiscentem *Bethlehemum*, oppidulum Tribus Juda, suæque originis locum : sic Deo mirabiliter disponente, ut quod per Prophetam *Michæam* (*b*) de MESSIA Bethlehemi nascituro prædixerat, impleretur.

Hùc postquam Virgo advênit, locum indiversorio non inveniens, ad stabulùm se recepit, ubi DEUM HOMINEM Jesum Christum, humani generis Redemptorem peperit, quem ceterorum more infantium, fasciis involutum (*c*) *reclinavit in præsepio.*

Sub hæc, cœlestis Angelorum cohors Deo laudes canit, natumque *Messiam* vigilantibus in ea regione PASTORIBUS nuntiat. Accurrunt hi, vident, adorant, gaudioque & admiratione pleni revertuntur.

Q. 3. *Quid octavo à nativitate die factum est ?*

R. CIRCUMCISIONIS legem (*d*) *Abrahamo* & posteris ejus olim à Deo præscriptam, etsi eâ non teneretur, Christus sponte subiit : eodemque tempore inditum illi fuit adorandum JESU nomen, (*e*) *quod vocatum ab Angelo fuerat priusquam in utero conciperetur.*

Q. 4. *Quid de* MAGORUM *adoratione, in Evangelio suo narrat* (*f*) MATTHÆUS ?

(*a*) Luc. 2. (*b*) Cap. 5. ✠. 2. (*c*) Luc. 2. ✠. 7.
(*d*) Gen. 17. ✠. 10. (*e*) Luc. ✠. 21.
(*f*) Cap. 2. *Magi* in Persia vocabantur viri exquirendis divinarum humanarumque rerum scientiis occupati. Creduntur fuisse numero *tres*, ex *Chaldea* venisse, & 13. die post Christum natum Bethlehemum advenisse.

℟. Illos ex Oriente venisse Hierosolymam ut novum Judæorum Regem, quem ex insolitæ (*a*) STELLÆ apparitione natum didicerant, adorarent.

Horum adventu turbatus HERODES, sibique & regno metuens, postquàm ex Principibus Sacerdotum Scribisque cognovit, per *Michæam* prædictum esse, fore ut BETHLEMI Christus nasceretur, calidè dissimulans, eò *Magos* misit, qui ductu prioris illius stellæ, quam in Oriente viderant, ad locum pervenerunt, ubi cum *Maria* Matre PUER erat.

Hunc quamvis imbecillem, & splendore regio destitutum, suppliciter venerati sunt *Magi*, (*b*) prostratique *adoraverunt*, & de Thesauris suis ei munera obtulerunt, *aurum*, *thus* & *Myrrham*. In somnis porrò divino oraculo moniti, ne redirent ad *Herodem*, (*c*) *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

Q. 5. *Quid Quadragesimo die à Christi nativitate memorabile contigit?*

℟. (*d*) Virgo puerpera (*e*) Legi quâ non tenebatur sponte subjecta, in templo hierosolymitano consuetam parientium PURIFICATIONEM subiit, filiumque suum primogenitum (quod (*f*) aliâ lege mandabatur) Deo obtulit. Superveniens interim *Simeon* vir senex & justus *Messiam* quem dudum desiderabat, agnovit: ANNA quoque Sanctissima Vidua, & Prophetissa testimonium perhibuit Redemptori, & (*g*) *loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël.*

Q. 6 *Cum ad* Herodem, *ut condictum fuerat, non redirent* Magi, *nihilne ille egit, quô se contrà novum Regem tutum redderet?*

(*a*) Vide Numer. 24. ℣. 17. (*b*) Matth. 2. ℣. 11. (*c*) Ibid. ℣. 12. (*d*) Lucæ 2. ℣. 22. (*e*) Lev. 12. ℣. 6. (*f*) Exod. 13. ℣. 2. (*g*) Luc. 2. ℣. 38.

℟. Imò verò ut eum certâ ruinâ involveret, (a) infantes omnes, biennio non majores, occidi jussit in Bethlehem, & finibus ejus; atqui hi sunt, quos sub *SS. Innocentium* nomine veneratur Ecclesia. Verùm *Joseph* Angeli monitu, cum *Maria* & filio ejus *in Ægyptum secedens*, hunc unum quem *Herodes* quærebat puerum, illius furori subduxit.

Defuncto *Herode* illo Idumæo, in terram Israël regressus *Joseph*, in *Nazareth* Gallilææ oppido denuò commoratus est, unde [b] *Nazaræi* nomen puer accepit.

De reliqua Christi infantia, primaque pueritiâ, usque ad ætatem *duodennem*, nihil in Evangelio expressum voluit Spiritus S. nisi quòd [c] puer crescebat & confortabatur, plenus Sapientiâ: & gratia Dei erat in illo.

Q. 7. *Quid autem memorabile contigit, ubi* JESUS *duodennis factus est?*

℟. [d] Cùm solemni Paschæ die, parentibus ejus pro consuetudine hierosolymam petentibus, ipse illis junctus pariter ascendisset, his domum remeantibus, ille remansit Hierosolymis, ac demùm post triduum ab iis in *Templo* repertus est inter Doctores, illos audiens, & vicissim interrogans, cunctis stupentibus super doctrina & responsis ejus.

Q. 8. *Quid deinceps usque ad ætatem* 30. *annorum, de Christi vita nobis innotuit?*

℟. Hoc unum Scriptura commemorat, *Jesum* cum parentibus in Nazareth reducem, vixisse, [e] *subditum illis.* Nec dubium est quin cum

(a) Matth. 2. ℣. 16.
(b) Matth. 2. ℣. 23. Multis ante sæculis Isai. cap. 11. ℣. 1. Christus vocatus fuerat habraicè *Netzer*, id est germen, aut flos.
(c) Luc. 2. ℣. 40. (d) Luc. 2. ℣. 1. & seqq.
(e) Luc. 2. ℣. 51.

Josepho [a] fabrilem artem exercens, suæque prædicationis tempus expectans, frugalem interim, humilem & laboriosam vitam egerit, nobis [b] *relinquens exemplum ut sequanur vestigia ejus.*

CAPUT XV.

De Christi Baptismo, Jejunio, Tentatione & vocatione Discipulorum.

QUæstio 1. *Quid de* BAPTISMO *Jesu Christi narrat historia Evangelica?*

℟ Hæc sequentia: [c] Anno quintodecimo imperii *Tiberii* Cæsaris, procurante Judæam pro Romanis *Pontio Pilato* JOANNES Zachariæ filius è deserto Judeæ, in quo ab ineunte ætate vixerat, in publicum prodiit. Austeritate vitæ veteres Prophetas superabat. [d] Victum ei præbebant locustæ & mel silvestre: vestitum exhibebant duri camelorum pili, & zona pellicea.

Prædicabat interim, omnesque ad pœnitentiam hortabatur, [e] durè redarguens *Pharisæos* ac *Sadducæos*, & [f] cuilibet hominum generi præscribens ea, quæ salutariter observarent; magnam quoque hominum multitudinem in aquis Jordanis fluvii *baptizabat*, unde *Baptistæ* nomen obtinuit.

Cùm itaque universi populi admirationem & venerationem provocasset [g] in suspicionem plerique adducti sunt, eum esse *Messiam* illum tot retrò sæculis expectatum. At *Joannes* [h] ingenuè professus est, non esse se nisi Messiæ *præcursorem*, à Deo missum, ut illi viam præpararet.

(a) Vide Marc. 6. ℣. 3. (b) 1. Pet. 2. ℣. 21.
(c) Luc. 3. ℣. 1. (d) Matth. 3. ℣. 4.
(e) Ibid. ℣. 7. (f) Luc. 3. ℣. 10.
(g) Ibid. ℣. 14. (h) Joann. 1. ℣. 20.

Q. 2. *Eratne Baptismus Joannis efficax ad remittenda peccata?*

℟. Non erat nisi sancta quædam cæremonia, quam qui subibant, & pœnitentiam solemniter profitebantur, & ad remissionem peccatorum, per Christum obtinendam, disponebantur.

Q. 3. *Numquid cum cæteris etiam Christus à Joanne Baptizari voluit?*

℟. Voluit planè, (*a*) JOANNE frustra reluctante: tum ut humilitatis exemplum nobis daret, tum ut sui Sancti Corporis contactu sanctificaret aquas, quibus in suo postmodum Baptismo obtinenda erat remissio peccatorum.

Q. 4. *Quænam Baptizato Christo miracula contigerunt?*

℟. Hæc tria: 1. Cum *Jesus* Baptizatus de aqua ascenderet, (*b*) *aperti sunt ei cœli.*

2 (*c*) *Descendit in ipsum Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba.*

3. De cœlis vox audita est, dicens: (*d*) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Q. 5. *Quò se post baptismum suum Jesus Christus contulit?*

℟. (*e*) Agente eum Spiritu Sancto, secessit in *Desertum*, ubi quadraginta dierum JEJUNIUM absque omni cibo peregit. Cum verò post hæc esuriret, diabolus scire percupidus, isne ille esset qui cœlesti voce denuntiatus erat Filius Dei, variis modis eum *tentare* aggressus est, quod *Jesus* permisit, tum ut se verè hominem esse monstraret, tùm ut nobis vincendi exemplum, & fiduciam daret.

(*a*) Matth. 3. ℣. 15. (*b*) Matth. 3. ℣. 16.
(*c*) Lucæ 3. ℣. 22. (*d*) Matth. 3. ℣. 17.
(*e*) Matth. 4. ℣. 1. Luc. 4. ℣. 1.

Omni *tentatione* superatâ, (*a*) *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*

Q. 6. *Quid deinceps fecit Salvator noster?*

℟. (*b*) *Ministerii* sui functiones exorsus est, quæ quidem eò spectabant ut *Messiam* se probaret, salutarem homini veritatem ostenderet, eumque peccato perditum Deo reconciliaret. Primum patrando *miracula*, secundum *prædicando*, tertium *moriendo* perfecit.

Q 7. *Quomodo functiones istas Sarvator exorsus est?*

℟. Imprimis illi cura fuit, ut perpetuos quosdam suorum operum, ac doctrinæ testes, futurosque (*c*) EVANGELII præcones sibi adjungeret, quorum aliqui ad primam Christi vocem, *relictis omnibus secuti sunt eum.* Sic (*d*) *Simon* Jonæ filius, cui *Petri* nomen imposuit, & *Andreas* frater ejus, ambo piscatores: Sic *Jacobus* & *Joannes* frater ejus, Zebedæi filii, itidem piscatores, sic (*e*) denique *Matthæus* (*f*) publicanus, aliter *Levi* dictus, è telonio Christum secuti sunt.

Cùm autem *Discipulorum* non exigua multitudo illi jam adhæreret, quos & peculiariter instruebat, & turbis ad se venientibus *Baptizandis* adhibebat post quamdam noctem orando transactam, ex omnibus ad se vocatis *Duodecim* elegit, quos, utpote legatos suos, (*g*) APOSTOLOS nominavit.

Q. 8. *Recense* 12. Apostolorum *nomina.*

℟. (*h*) Primus *Simon* Petrus, & *Andreas* fra-

(*a*) Matth. 4. ℣. 11.
(*b*) *Jesus* tunc erat annorum circiter 30. Luc. 3. ℣. 23.
(*c*) *Evangelium* vox græca *lætum nuntium* sonat, utique redempti generis humani (*d*) Matth. 4. ℣. 18.
(*e*) Matth. 9. ℣ 9.
(*f*) *Publicanus* dicitur qui redempta à se vectigalia recipit.
(*g*) Lucæ 6. ℣. 13. (*h*) Matth. 10. ℣. 2. Luc. 6. ℣. 14.

ter ejus: *Jacobus*, & *Joannes* frater ejus, Zebedæi filii: *Philippus* & *Bartholomæus*: *Thomas* & *Matthæus* publicanus: *Jacobus* Alphæi filius, & *Judas* sive *Thaddæus* frater ejus: *Simon* Chananæus: & *Judas* Iscariotes Magistri sui proditor.

Q. 9. *Cur* Petrus *Apostolorum* PRIMUS *dicitur*?

℟. Quia electionis suæ beneplacito cæteris eum prætulit, omniumque caput constituit ipse Salvator; cùm enim quâdam die interrogasset discipulos, quid de ipso crederent, illicò respondit PETRUS: (*a*) *Tu es Christus Filius Dei vivi* Cui Salvator: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quam quidem promissionem tunc Christus implevit, quando post resurrectionem suam, totius illi gregis sui curam, omniumque fidelium regimen demandavit, dicens. (*b*) *Pasce agnos meos... Pasce oves meas.*

Q. 10. *Cui muneri electos à se* Apostolos *deputavit*?

℟. Misit eos prædicaturos advenisse (*c*) *regnum cœlorum*, id est felix illud tempus quo cuncti vocarentur ad cognitionem veri Dei, & spem vitæ æternæ, Misit autem hactenùs ad *Judæos* tantùm, necdum sinens ut ad *Samaritanos*, aut *Gentiles* diverterent.

Dedit porrò illis potestatem, (*d*) ut infirmos curarent, mortuos suscitarent, leprosos munda-

(*a*) Matth. 16. ℣. 16. (*b*) Joan. 21. ℣. 15. & seqq.
(*c*) Matth. 10. ℣. 7. (*d*) Ibid. ℣. 8. & seqq.

rent, dæmones ejicerent, mandans ut quod gratis acceperant, gratis darent: Dei providentiæ fiderent, & illum solum timerent.

Cum simili postmodum potestate, similibusque mandatis (a) alios septuaginta duos misit ante se Dominus Jesus, *in omnem Civitatem & locum, quô erat ipse venturus.*

CAPUT XVI.

De Miraculis Christi.

QUæstio 1. *Quomodo probavit* Jesus *se* Messiam *esse & verè à Deo missum?*

℟. Primò quidem, (b) ostendendo veteres Prophetarum *prædictiones* in se impleri.

Secundò, per MIRACULA, signa atque prodigia fere innumera; quorum quidem firmandæ fidei nostræ multa ab *Evangelistis* conscripta sunt, sed ut ipse (c) *Joannes* indicat, ab iisdem etiam plurima sunt prætermissa.

Q. 2. *Quisnam miraculorum* Christi *proprius character & nota est?*

℟. *Beneficentia:* neque enim ad *ostentationem* ut magi & impostores solent, neque ad *terrorem*, uti plerumque *Moyses* olim & *Elias*, sed ad miserorum levamen atque subsidium miracula patrabat benignissimus Salvator, ea illis bona procurans, quæ summa in terris æstimant, vitam utique & sanitatem.

Q. 3. *Recense pro specimine nonnullæ Christi miracula quæ in Evangelio referuntur.*

℟. Imprimis variis locis atque temporibus, sanitatem, membrorumque integritatem reddidit

(a) Luc. 10. ℣. 1. (b) Vide Luc. 4. ℣. 21.
(c) Vide Joan. 20. ℣. 30. & cap. 21. ℣. 25.

innumerabili hominum multitudini, qui omni morborum & infirmitatum genere vexabantur: febricitantibus, fluxum sanguinis patientibus, hydropicis, paralyticis, leprosis.

Sanabat autem eos subitò plerumque & sine temporis morâ, uno sæpè verbo, & quandoque absentes, uti de (a) *Reguli filio*, & (b) *Centurionis servo* narrat Evangelium. (c) *Quocumque introïbat* Jesus *in vicos, vel in villas aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, & quotquot tangebant eum, salvi fiebant.*

Non rarò etiam tam frequens ad eum erat populi concursus, (d) ut domus, in qua erat, obsideri videretur, ità ut sæpè ne comedendi quidem otium inveniret, atque in desertum secedere cogeretur, quò eum undique innumerabilis hominum multitudo sequebatur.

Plurimis *cæcis* visum reddidit; inter ceteros (e) cæco nato, cui luto liniverat oculos *Mutis* loquelam, *surdis* auditum, *claudis* gressum restituit, *obsessos* à dæmoniis liberavit: *mortuos* denique suscitavit.

Q. 4. *Quot mortuos suscitasse legitur?*

℟. Tres tantùm referuntur in Evangelio; videlicet 1. (f) *Jairi* filia, puella annorum duodecim, recèns defuncta. (g) 2. Adolescens filius viduæ, qui extra portam civitatis *Naim* sepeliendus efferebatur 3 (h) *Lazarus* frater *Mariæ* & *Marthæ*, qui jam fætebat quatriduanus in monumento.

Q. 5 *Quid per hos mortuos, quos ad vitam*

(a) Joan. 4. ℣. 50. (b) Matth. 8 ℣. 13.
(c) Marc. 6. ℣. 56. (d) Marc. 1. ℣. 33. & 45. item. 3. ℣. 20.
(e) Joan. 9. ℣. 6. (f) Lucæ 1. ℣. 41.
(g) 7. ℣. 12. (h) Joan. 11. ℣. 1.

corporis Salvator revocavit, adumbratum fuisse censeant Sancti Patres?

℟. Docent adumbratos fuisse eos, qui à spirituali morte per peccatum inflictâ, ad novam animæ vitam per Christi gratiam suscitantur: ità quidem, ut puella recèns defuncta designet eos, quorum lapsus etiamnum est recèns, qui faciliùs spirituali vitæ redduntur; adolescens autem ille, qui jam ad sepulchrum efferebatur, denotet eos, qui aliquantò diutiùs in peccatorum luto hæserunt, in quibus conversionis difficultas major est: *Lazarus* denique, fætens ille quadriduanus, significet illos, qui inveteratam in peccatis consuetudinem sensim contraxerunt, quorum conversio ut constaret quàm sit operosa, in Lazari suscitatione Christus [*a*] *infremuit spiritu, & turbavit seipsum, lacrymatus est, & voce magnâ clamavit, Lazare veni foras.*

Q. 6. *Recense præterea alia nonnulla Christi* miracula.

℟. [*b*] Discipulis quâdam nocte in mari Galilææ adverso vento remigantibus, repentè *Jesus* adstitit, super aquas ambulans, fecitque ut & sic *Petrus* ambularet.

[*c*] Exortam aliquando tempestatem verbo sedavit, ventis & fluctibus imperio ejus obtemperantibus.

[*d*] Fecit ut discipuli post totam noctem inutili labore consumptam, ingentem illicò piscium multitudinem comprehenderent.

[*e*] Aliquando quinque panibus, & duobus piscibus, quinque virorum millia, præter mulie-

(*a*) Joan. 11. ℣. 33. 35. & 43 (*b*) Matth. 14. ℣. 25.
(*c*) Matt. 8. ℣. 26. (*d*) Luc. 5. ℣. 5.
(*e*) Matt. 14. ℣. 20.

res & par-

tes & parvulos, in deserto satiavit, superantibus duodecim plenis cophinis fragmentorum.

[a] Alio tempore quatuor virorum millia, præter mulieres & parvulos, septem panibus, paucisque pisciculis saturavit, superfuerunt de fragmentis septem sportæ plenæ.

[b] Hominum oculis quando libuit, se subduxit.

[c] Abditissimas humani cordis cogitationes noverat, & futuram prænuntiabat.

Q. 7. *Quid de Christi* Transfiguratione *Evangelistæ commemorant?*

℟. [d] Eum quâdam die tres secum discipulos in *montem excelsum seorsim* adduxisse, *Petrum*, *Jacobum* & *Joannem*, utque his aliquod gloriæ suæ specimen exhiberet, novam subitò speciem, figuramque induisse, ita ut vestes ejus nive candidiores apparerent, faciesque sole splendidior. *Moyses* & *Elias* cum eo colloquèntes visi sunt, voxque audita quæ diceret : [e] *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.*

His omnibus signis liquidò demonstrabat *Jesus*, eum se esse quem dicebat, nempe *Messiam* & *Filium Dei*. Cæterum non per se tantùm edebat miracula, [f] sed similia, majoraque etiam quondam patrandi potestatem Discipulis tribuebat.

CAPUT XVII.

De Christi Virtutibus.

QUum tot miracula, tot signa, tot prodigia *Jesus* ederet, simul omnium se virtutum

(a) Matt. 15. ℣. 36. (b) Luc. 4. ℣. 30.
(c) Joan. 2. ℣. 25. (d) Matth. 17. (e) Ibid. ℣. 5.
(f) Luc. 9. ℣. 1. Joan. 14. ℣. 12.

exemplar exhibebat, ità nos priùs factis, quàm verbis docens: (a) *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Q. 1. *Quasnam ad vitæ nostræ informationem, in vita sua potissimùm elucère virtutes voluit?*

℟. Has sequentes: humilitatem, mansuetudinem, benignitatem, misericordiam, zelum, patientiam, obedientiam.

Q. 2. *Quomodo* humilitatis *nobis exemplum dedit?*

℟. Tota series vitæ ejus perpetua ferè humiliatio fuit. Abjectô locô, in paupere familia natus, tenuiterque educatus, toti penè mundo vixit incognitus. Cum esset Filius Dei, *Filium* se *hominis* nuncupare solebat, hoc est hominem vulgarem, humili loco natum, qualis videbatur (b) *Non veni*, aiebat, *ministrari*, sed *ministrare.* Miracula plerumque celabat, ægris quos curarat prohibens, ne ab ipso sanatos se dicerent. Compescebat dæmonia Filium Dei eum esse clamantia. (c) Quum ea, quam in deserto tam inusitatò modo paverat, multitudo, Regem eum sibi vellet constituere, fugâ illi elapsus est. (d) Non suam sed Patris à quo missus fuerat gloriam, quærebat in omnibus Denique, quod cætera omnia in immensum superat, peccato carens peccatoribus similis factus est, pœnamque peccatis nostris debitam ipse ferens, [e] *humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Q 3 *Quomodo verò nos suo exemplo* mansuetudinem *Christus docuit?*

℟. Comis & benignus omnibus, neminem à

(a) Joan. 13. ℣. 15. (b) Matt. 22. ℣. 28.
(c) Joan. 6. ℣. 15. (d) Joan. 8. ℣. 50.
(e) Phil. 2. ℣. 8.

se repellebat : [a] non contendebat, nec extollebat vocem, sed insano adversariorum furori sæpè cedebat. (b) Adductos aliquando parvulos quibus benediceret, Apostoli amovebant : at eos increpavit, admovit pueros, complexus est, manibusque impositis benedixit : affirmans parvulis similes effici opportere qui cœlorum Regnum intrarent Cæterum mansuetudinem numquam loculentiùs quàm in passione monstravit, quando velut Agnus mansuetissimus (c) coram tondente se obmutuit, neque ad tot tantasque calumnidas aperuit os suum, nisi ut Deum Patrem suum pro inimicis exoraret, (d) *Pater, demitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Jure ergo de se Salvator dixit : (e) *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

Q. 4. *Quomodo se* misericordiæ *exemplar exhibuit Jesus Christus?*

℟. Solâ *misericordiâ* ductus, (f) *venit quærere & salvum facere quod perierat.* Quocircà peccatores benignè suscipiebat, nec eorum convivia aspernabatur. (g) Cùm aliquando visâ Hierosolymâ, imminentes illi reputaret calamitates, *misericordiâ* motus flevit super eam : adeo patriam, etiam ingratam, diligebat. (h) Flevit & amicum *Lazarum* vitâ functum, quem mox erat suscitaturus. Denique suam in homines *misericordiam* indesinenti *beneficentiâ* demonstravit.

Q. 5. *In quibus præcipuè operibus Christi* beneficentiâ *eluxit?*

℟. Ex quo prædicare cœpit, reliquum vitæ

(a) Matt. 12. ℣. 19. (b) Matt. 19. ℣. 13.
(c) Isai 53. ℣. 7. Actor. 8. ℣. 32. (d) Luc. 23. ℣. 34.
(e) Matt. 11. ℣. 29. (f) Luc. 19. ℣. 10.
(g) Luc. 19. ℣. 41. (h) Joan. 11. ℣. 35.

tempus (*a*) *pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Miracula quæcumque patrabat, perpetua erant *beneficentiæ* munera, quibus vita & incolumitas hominibus redderetur. Ast quantùm anima præstat corpori, tantò major ea beneficentia fuit, quâ (*b*) *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, ut impositam sibi iniquitatem omnium nostrum, suo sanguine aboleret, (*c*) suoque nos livore sanaret.

Q. 6. *Quid de Christi* Zelo?

℟. Quàm vehementer *Zelo* salutis animarum arderet, satis probat assiduus prædicationis labor, & magis etiam acerbissimum mortis genus, pro mundi salute toleratum.

Ex divinæ gloriæ *Zelo* proficiscebatur (*d*) acris illa increpatio eorum, qui contra veritatem animam induraverant, & sanctitatem intereà simulabant; quo in genere passim erant (*e*) *Scribæ* & (*f*) *Pharisæi* His vitia & *hypocrisim* palàm improperabat, quamvis probè sciret nihil sibi inde aliud præter capitale odium posse accidere. (*g*) Eodem *Zelo* ductus, semel & iterum eos de templo exturbavit, qui illud negotiatione profanabant.

Q 7. *Quid de Christi* Patientia & Obedientia?

℟. Quod ad priorem illam attinet, rudes discipulorum animos, imperitam multitudinem, ægrorum importunitatem, cæterosque intempestivè irruentes, mirâ *Patientia* tolerabat Pari constantiâ omnia *paupertatis* ferebat incommoda, æstum, algorem, famen, sitim, fatigationem,

(*a*) Act. 10. ℣. 38. (*b*) Isai. 53. ℣. 4.
(*c*) Ibid ℣. 5. (*d*) Vide Matt. 23.
(*e*) Legis Moysaicæ Interpretes & Doctores.
(*f*) Qui maiorem vitæ intergritatem, accuratioremque præ cæteris Legis observationem profitebantur.
(*g*) Joannes 2. ℣. 15. Matt. 21. ℣. 12.

calidissimâ regione, plenâque meridie iter faciens. Et quamquam tantam ultrò paupertatem elegisset, ut nec agrum haberet, nec domum, (a) ac nequidem ubi caput reclinaret, numquam tamen commodi sui causâ, miraculum ullum patrasse legitur. Victus ei ab auditoribus spontè exhibebatur, præcipuè à sanctis fœminis quæ ministrandi causâ sequebantur.

Quod ad *obedientiam* spectat, (b) quùm Pharisæorum Scribarumque facta redargueret, ministerium commendabat, jubebatque populum eorum jussis esse obsequentem, quippè qui legitimâ auctoritate docerent. Ipse receptis potestatibus subditus, (c) tributa solvebat : frequens adibat Templum, cæterosque Legis Mosaïcæ ritus exactè servabat. (d) Cibum suum aiebat esse, facere voluntatem Patris, à quo missus esset, cui tandem (e) *Obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Hæc ex innumeris pauca sint pro specimine. Cæterum, nullus est status vitæ, nulla conditio, quæ non habeat in Christi vita quod imitetur : nec quidquam est in quo Christiani hominis meditatio utiliùs occupetur.

CAPUT XVIII.

De prædicatione & Doctrina Christi ac Adversariis ejus.

QUæstio 1. *Quomodo nos veritatem Christus docuit ?*

℟. *Exemplo & Prædicatione.* De exem-

(a) Matth. 8. ℣. 20. (b) Matth. 23. ℣. 3.
(c) Matt. 17. ℣. 26. (d) Joan. 4. ℣. 34.
(e) Phil. 2. ℣. 8.

plò in compendio visum est suprà. Quod ad prædicationem attinet, (*a*) obibat civitates, pagos, & vicos, divini sui verbi semen ubique spargens (*b*) Frequens docebat in *Synagogis*, iis nempe locis, quò Judæi legendis, audiendis, interpretandisque S. Scripturæ libris solebant convenire. Sæpe etiam prædicabat secùs mare, aliàs in monte, locisve campestribus; verbo, nullam annuntiandæ veritatis occasionem prætermittebat, nullusque ipsius sermo instructione vacabat. Adhibebat crebrò *parabolas* & similitudines, quia hæc instruendi methodus in iis præcipuè regionibus, jam pridem erat usu receptissima.

Q. 2. *Quid prædicatione suâ Christus hominibus præcipuè inculcatum voluit?*

℞. Id scilicet, quibus in rebus vera hominis felicitas ac beatitudo sita esset, quod quidem octo sententiis complexus est, quæ BEATITUDINES EVANGELICÆ nuncupari solent.

Q. 3 *Recense igitur octo illas* Beatitudines Evangelicas.

℞. Sic eas ipse Salvator initio sermonis illius quem in *monte* prolixum habuit enumeravit.

1. (*c*) BEATI PAUPERES SPIRITU, QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CŒLORUM.

2. BEATI MITES: QUONIAM IPSI POSSIDEBUNT TERRAM.

3. BEATI QUI LUGENT: QUONIAM IPSI CONSOLABUNTUR.

4. BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT JUSTITIAM: QUONIAM IPSI SATURABUNTUR.

5. BEATI MISERICORDES: QUONIAM IPSI MISERICORDIAM CONSEQUENTUR.

(*a*) Marc. 6. ✝. 26. (*b*) Luc. 4. ✝. 15. &c.
(*c*) Matt. 5. ✝. 3.

6. Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.

7. Beati pacifici : quoniam Filii Dei vocabuntur.

8. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum

Q. 4. *Quis harum sententiarum sensus est?*

℞. Hic scilicet : vanam & fallacem esse corrupti hujus sæculi de felicitate sententiam, quâ ferè vulgò Beati putantur divites, præpotentes, gloria & auctoritate clari, bonis fortunæ affluentes, voluptatibus indulgentes. His enim verò Incarnata Veritas tremendum *væ* interminat contràque *beatos* prædicat, qui propter Deum divitias & opes ultrò contemnant, & paupertatem æquanimiter tolerent : qui mites & mansueti, de suo jure aliquid remittant potiùs, quàm contendant : qui sua & aliena peccata pœnitenti animo defleant : qui esurientium & sitientiam more, justitiam & æquitatem appetant, incommutabilem præsertim illam, quæ est ipse Deus : qui misericordes sint & benefici, subvenientes miseris quibus possunt, condolentes si non possunt : qui cor mundum puramque mentem gerant, (*a*) *ab omni inquinamento carnis & spiritus* : qui pacem servent ruptamque concordiam quoad possunt, restaurent : qui denique ob veritatem, & justitiam vexationes & molestias, si opus est, constanti animo perferant. Hi utique vitæ hujus felicitatem habent, cui pro mercede, æterna deinde reddenda est.

Q 5. *Quò autem tendebat reliqua Christi doctrina?*

(*a*) 2. Cor. 7. ℣. 1.

℞. Eò nempe, (a) ut crederent homines in Deum verum, & quem misit Jesum Christum: tum etiam sinceram de peccatis agerent pœnitentiam. Breviter ergò *fidem* requirebat & *pœnitentiam*.

Q. 6. *Quid istud* pœnitentiæ *nomen involvit*?

℞. Hæc duo: anteactæ in criminibus vitæ odium ac detestationem, & novæ deinceps vitæ propositum efficax Hoc nempe, Apostolo teste, conversans nobiscum in terris nos Christus docuit, (b) *Ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi* Hoc itaque doctrinæ Christi breve compendium est, mori mundo, Deo vivere.

Q. 7. *Hancne Salvatoris doctrinam lubenti, ut oportebat, animo Judæi susceperunt?*

℞. Nonnulli quidem; ast plerique repudiarunt. Imò verò qui inter ipsos præcipui erant, Scribæ, Pharisæi, Principes Sacerdotum, & Primores populi, irreconciliabile contrà Jesum odium conceperunt.

Q. 8. *Quæ tantæ invidiæ, tantique odii causa extitit?*

℞. Humilis in speciem videbatur & abjectus, summâ tamen auctoritate se *Messiam* & Filium Dei prædicabat, & inusitata populo dabat præcepta; illorum quæque hypocrisim acriter increpabat, & occulta vitia detegebat; adeò ut auctoritas, quam pridem apud populum obtinebant, sensim minueretur. Hæc, unà cum summa vitæ innocentia, quam calumniari possent, non redarguere, tantæ invidiæ materiam ministrabat.

(a) Joann. 17. ℣. 3. (b) Tit. 2. ℣. 12.

Q. 9. *Quousque tandem odium istud progressum fuit?*

℞. Eòusque, ut statuerint Jesum è medio tollendum. Tentarunt sæpè, sed invanum semper, (*a*) quamdiu non venerat horâ ejus, id nempe, tempus quod ipse suæ morti elegerat. At verò post resuscitatum ab eo *Lazarum*, & triumphabundum ejus in urbem Hierosolymitanam ingressum, (*b*) ægerrimè ferentes frequentes omnium reclamationes, verebantur miseri ne totus mundus post eum iret. Decreverunt igitur, quantocyùs eum quoquo modo opprimendum; ac ne deesset opportunitas, *Judas Iscariotes* unus è duodecim Apostolis ejus, (*c*) triginta argenteorum stipendio eum illis se traditurum stipulatus est.

CAPUT XIX.

De 4. Symboli Articulo, ac primò de Passione Christi.

QUartus Symboli Articulus iste est: PASSUS SUB PONTIO PILATO CRUCIFIXUS, MORTUUS, ET SEPULTUS.

Qui juxta rei gestæ seriem, paucis hìc elucidandus est.

Q. 1. *Quid pridiè mortis suæ egisse Christus legitur?*

℞. (*d*) Vesperi cum duodecim Apostolis suis *Agnum Paschalem*, qui quotannis in memoriam exitus ex Ægypto, ab Israëlitis solemniter comedendus erat, juxta (*e*) legis præscriptum comedit.

(*a*) Joan. 7. 30. (*b*) Joan. 12. 19.
(*c*) Matt. 26. 15. [*d*] Matt. 26.
[*e*] Exod. 12.

Deindè (*a*) suis ipse manibus Discipulorum *pedes lavit*, tum ut humilitatis exemplum daret, tum ut ostenderet quanta puritate opus esset ad id mysterium, quod mox institurus erat.

His itaque expletis (*b*) augustissimum sui CORPORIS ET SANGUINIS SACRAMENTUM instituit, sub aliena quidem panis & vini specie velatorum, sed tamen reipsâ præsentium. Dedit, quod dudum ante (*c*) *promiserat*, carnem suam comedendam & sanguinem bibendum, ut qui visibiliter erat à nobis discessurus, invisibiliter nobiscum permaneret (*d*) *usque ad consummationem sæculi*.

Post hæc cùm (*e*) *Judæ* proditionem, *Petri* negationem, & imminentem omnium fugam prænuntiasset, prolixum cum discipulis (*f*) *sermonem* habuit: tristes de discessu Magistri sui solatus est, missurum se promittens Consolatorem Spiritum Sanctum, qui de mysteriis omnibus eos pleniùs erudiret, & perpetuò cum eis maneret.

Cœnaculo (*g*) egressus, unà cum discipulis abiit in montem Olivarum, in hortum ubi orare consueverat.

Q. 2 *Quid verò in horto gestum fuit?*

℞. Hìc Jesus naturali mortis horrori spontè indulgens, instantem sibi passionem ità exhorruit, ut (*h*) sanguineus è corpore sudor in terram eruperit. Tertiò igitur tam amarum passionis calicem deprecatus, tertiò addidit, (*i*) *Non mea sed tua voluntas fiat*.

Advenit intereà (*k*) *Judas* cum militum ma-

(*a*) Joan. 13. (*b*) Mat. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. (*c*) Joan. 6. 52. (*d*) Matt. 28. 20.
(*e*) Joan. 13. (*f*) Joann 14. ℣. 15. & 16.
(*g*) Joan. 18. ℣. 1. (*h*) Luc. 22. 44.
(*i*) Ibid. ℣. 42. & Matth. 26. ℣. 44. (*k*) Luc. 22. ℣. 47.

nu, à Principe Sacerdotum missâ: Magistrum suum ultrò se differentem OSCULO PRODIT, (a) Petrum defensionem & vim parantem *Jesus* prohibet, hostibus subitò prostratis, (b) servique auriculâ sanatâ, se non invitum capi luculenter ostendens.

Captus itaque ac vinctus, (c) ad *Annam* primum, deinde ad *Caipham* illius generum, summumque Sacerdotem ducitur, ubi post acceptam ob liberum responsum (d) ALAPAM, post auditos (e) falsos testes, sed rejectos, Filium Dei se confessus, tamquam blasphemus, mortis reus proclamatur, eique à ministris, indignis modis illuditur.

Q. 3. *Quid intereà discipuli?*

℞. Dum cæteri fugâ sibi consulunt, *Petrus* (f) à longè secutus, finem spectare cupiebat. At, (ô tremendum humanæ fragilitatis exemplum!) Pontificis ædes ingressus, post tot perpetuæ fidelitatis protestationes, (g) hâc ipsâ nocte ter Dominum NEGAVIT. Verum cùm miserante oculo ipsum JESUS respexisset, ad secundum galli cantum facinus suum agnovit, egressusque fores flevit amarè.

Q. 4. *Quid luctuosâ illâ nocte transactâ, Judæorum Principes de* Jesu *statuerunt?*

℞. (h) Vinctum eum tradiderunt *Pontio Pilato* qui pro Romanis Judæam administrabat.

Hæc cùm vidisset *Judas*, inutili pœnitentiâ dictus, retulit 30 quos acceperat argenteos, & in desperationem actus (i) *laqueo se suspendit.*

Coram *Pilato* varias contra *Jesum* accusatio-

(a) Joann. 18. ℣. 11 Luc. 22. ℣. 51. (b) Joann. 18. ℣. 11.
(c) Joan. 18. ℣. 22. (d) Marc. 14. ℣. 56
(e) Matt. 26. ℣. 58. (f) Ibid. ℣. 70 (g) Matt. 27. ℣. 2.
(h) Ibid. ℣. 5. (i) Luc. 23. ℣. 7.

nes movent Judæi, quas Præses calumniosas judicans, aut parùm certè probabiles, (*a*) cùm intelligeret Gallilæum esse, ad *Herodem Antipam* Herodis senioris filium & Gallilææ Tetrarcham, qui tunc Hierosolymis agebat, eum misit. Hic prodigium aliquod avidè à Christo expectans, profundum silentium tulit. Quare eum ut fatuum aspernatus, VESTE ALBA indutum remisit ad Pilatum.

Q. 5. *Quid hic Pilatus.*

℟. De illius innocentia satis apud se convictus, atque ob id perplexus, variis eum modis tentavit absolvere. (*b*) *Nullam*, inquit, *causam invenio in eo: corripiam ergo illum & dimittam. Barabbæ* seditioso latrioni à Judæis postpositum, FLAGELLANDUM dedit (*c*) CORONA deinde è SPINIS, & obsoletâ veste purpureâ à militibus ludibrio habitum, Pilatus populo videndum exhibet, si vel sic satiati desisterent.

Q. 6 *Quid ad hæc Judæi?*

℟. Solâ ejus morte satiabiles, in Christi morte flagitandâ persistunt, (*d*) iramque *Cæsaris* Præsidi minitantur, si dimittat. Cedit ignavus judex, manibusque frustrà ablutis, innocentem agnitum morti adjudicat (*e*) clamantibus Judæis ut sanguis ejus, illiusque ultio supra se, & filios suos esset, cujus tam diræ petitionis effectum, etiamnùm hodiè persentiscunt.

Q. 7. *Ad quod supplicii genus Christus damnatus fuit?*

℟. Ad supplicium CRUCIS, quo quidem nullum apud Judæos erat probrosius, quôque non

(*a*) Luc. 23. ℣. 22. (*b*) Joan. 19. ℣. 1. & 2.
(*c*) Ibid. ℣. 12 (*d*) Matth. 27. ℣. 25.
(*e*) Luc. 23. ℣. 27.

nisi servi & infimæ sortis homines ob summa maleficia plectebantur.

Damnatus igitur, ad supplicii locum, *Golgotha* id est *Calvaria* dictum ducitur; suis humeris impositam crucem bajulans. (*a*) Flentes interim, lamentantesque quæ sequebantur mulieres, non mortem suam, sed imminens urbi gentique excidium deplorare jubet.

Ubi attigit supplicii locum, exuitur vestibus, quas sibi milites (*b*) *sorte* diviserunt, & vino myrrhato ac felle mixto potatur. Clavis deinde cruci confixus inter duos latrones medius collocatur, hoc illi titulo superposito: Jesus Nazarenus Rex Judæorum, quem Hebraïcè, Græcè & Latinè Pilatus scribi curaverat.

Q. 8. *Verosne dolores Christus in passione sustinuit?*

℟. Imò verò sustinuit maximos, usque adeò ut in illius persona verè Propheta dixerit: (*c*) *ô! vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Quamvis enim prout Deus erat, pati non posset, humanæ tamen, quam assumpserat, naturæ suas proprietates servavit, ut proinde in illa & pati posset & mori.

Q. 9. *Quid homini Christiano in Salvatoris passione meditandum est?*

℟. Nulla quidem illius est circumstantia, quæ non utiliter expendatur: at præcipuæ statuendum est, æquum esse ut si Agnus ille innocens Jesus Christus alienæ iniquitatis pœnam tam patienter tulit, nos qui iniquitate propriâ tenemur obstricti, quæ nobis adversa & molesta eveniunt, patienti animo toleremus. *Christus*,

(*a*) Psal. 21. ℣. 19. (*b*) Joan. 21. ℣. 19.
(*c*) Thren. 1. ℣. 12.

inquit Apost. Petrus, (a) *Passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Amicorum Dei ille character est, (b) conformes esse filio ejus. Tulit Jesus crucem suam eique affixus est, ut & nos indies portemus nostram; peccatique vetustatem in nobis (c) crucifigentes, vitiis pravisque desideriis moriamur.

CAPUT XX.

De Morte & Sepultura Christi.

QUæstio 1. *Quid in cruce pendens Salvator egit?*

℟. Sacerdos ipse & victima, cruentum illud sacrificium consummavit, quo genus humanum reconciliaretur Deo, idque circa tempus illud, quo ex legis præscripto comedebatur Agnus Paschalis, expressa figura mortis ejus, quam & reliqua sacrificia omnibus retrò sæculis oblata adumbrabant.

Q. 2. *Quid verò tribus illis, quibus in cruce vivus pependit horis, dixisse legitur?*

℟. Ante omnia, quod verbis pridem docuerat, re complevit, dum pro suis ipse crucifixoribus etiamnum dira imprecantibus & illudentibus, Patrem deprecatus est dicens: (d) *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Altero deinde latronum, qui simul crucifixi fuerant, blasphemante, alter Messiam agnovit, & cùm misericordiam imploraret, his eum verbus benignissimis, Jesus affatus est: (e) *Hodie mecum eris in Paradiso:* sic jam tum futu-

(a) 1. Pet. 2. ℣. 22. (b) Rom. 8. ℣. 29.
(c) Galat. 5. 24. (d) Luc. 23. ℣. 34.
(e) Ibid. ℣. 43.

rus aliquando vivorum & mortuorum Judex, justitiam simul & clementiam exercebat, (*a*) alterum justè deserens, alterum clementer allumens.

3. Cùm videret Jesus Matrem cum Joanne discipulo quem diligebat sub cruce stantem, eam Joanni commendavit, dicens : (*b*) *Ecce Mater tua*, & ex ea hora eam ille in Matrem accepit; quâ quidem in re cùm universi cætûs fidelium mystico quodam modo personam sustineret Joannes, nobis quoque omnibus eodem tempore Sanctissima Virgo in Matrem data est.

4. Naturali instantis mortis horrori sicut ante in agonia, ità nunc iterùm ultrò indulgens *Jesus*, ut in se membrorum suorum infirmitatem ipse transferret, lamentabili voce in hæc verba questus est : (*c*) *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?*

5 Exhausto corpore naturaliter sitiens, salutemque humani generis sitibundo affectu desiderans, (*d*) *sitire* se dixit ; quod cùm auditum esset, adstantium aliquis spongiam *aceto* impletam ori ejus admovit.

6. Cum accepisset *acetum*, sciens Jesus omnia jam esse impleta, quæ sibi mandata, quæque de se prædicta essent, dixit. : (*e*) *Consummatum est.*

7. Denique validis adhuc viribus, voce magnâ clavavit, dicens. (*f*) *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et inclinato capite emisit spiritum.

Q. 3. *Fuitne in Christi morte divinitas ab anima aut à corpore separata?*

(*a*) Vide Luc. 17. ℣. 54. (*b*) Joan. 19. ℣. 27.
(*c*) Matth. 17. ℣. 47. Psalm. 21 ℣. 2.
(*d*) Joan. 19. ℣. 28. (*e*) Ibid. ℣. 30.
(*f*) Luc. 23. ℣. 46.

℟. Nequaquam : sed utrique illi substantiæ, divini verbi persona indissolubili nexu manŭt conjuncta. Sola facta est separatio animæ à corpore, ut in cæteris accidit qui moriuntur.

Q. 4. *Quare Christus præ cæteris supplicium crucis, quo moreretur, elegit?*

℟. Quia nullum erat illo indignius, nullumque adeò aptius quo injuria Deo per peccatum illata repararetur. Salutem prætereà humani generis in ligno crucis constitutam voluit, *ut unde mors oriebatur inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat* (diabolus) *in ligno quoque vinceretur.* Hinc factum ut mors Christi in cruce futura, jam olim abumbrata fuerit & prædicta. Adumbrata quidem (*a*) *serpente* illo æneo quem Moyses in deserto erigere jussus est, ut qui à serpentibus morsi, in eum defigerent oculos, sanarentur. Prædicta verò hæc eadem Christi mors admodum luculenter fuit à Davide Psalmo 21. ubi Messiæ passionem quasi remgestam describens: *Foderunt* inquit, *manus meas & pedes meos.*

Q. 5. *Nonne & aliæ pleræque passionis, mortisque Christi circumstantiæ, jam olim prædictæ fuerunt?*

℟. Fuerunt utique, à Davide (*b*) præsertim & Isaia, cujus tam luculentum hâc in re est caput 53. ut historica narratio potiùs videri possit quàm prophetia. *Virum dolorum* vocat, *despectum & novissimum virorum, nec*, inquit, *reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates no-*

[*a*] Num. 21. ℣. 8. Joan. 3. ℣. 14.
[*b*] Legantur Psalmi 21, & 68,

stras, at-

stras, attritus est propter scelera nostra : disciplinâ pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet & non aperiet os suum.... Propter scelus populi mei percussi eum.... Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum... Et cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit.

Cæterùm in hoc divina providentia mirabiliter elucet, quòd rem humanis sensibus tam abstrusam, qualis est mundi salus Filii sui morte obtinenda, longè antequam fieret multipliciter adumbrari curaverit & prædici, ut cùm facta esset faciliùs crederetur.

Q. 6. *Quænam Christo moriente prodigia contigerunt ?*

℟. Cùm circà meridiem in crucem exaltatus esset, contra consuetum naturæ cursum, sol in plenilunio defectionem passus est. (*a*) *tenebræque factæ sunt super universam terram.*

Ubi deindè post tres circiter horas expiravit, ecce (*b*) *velum* quo pars intima templi ab alia dividebatur, *scissum est medium* in duas partes, à summo usque deorsum : terra mota est : petræ scissæ sunt : monumenta aperta sunt, & universa quodammodo natura, auctorem suum mori testata est.

Hæc cùm Centurio cum suis, cæteraque spectantium turbâ adverterent, ingenti terrore perculsi, (*c*) *Verè* inquiebant, *hic homo justus*, & *Filius Dei erat*, & percutientes pectora sua re-

(*a*) Luc. 23. ℣. 44. (*b*) Ibid. ℣. 45.
(*c*) Ibid. ℣. 47.

vertebantur. Plerique interim Judæorum saxis ipsis duriores, in suâ cæcitate & obstinatione persistebant.

Q. 7. *Quid velum templi scissum significabat?*

℟. Cœlum quod ob peccatum clausum fuisset hactenùs, moriente Christo esse reseratum. Adesse prætereà tempus, quo Veteris legis umbræ finem acciperent, templumque & Judæorum natio desereretur.

Q. 8. *Quid de Christi* Sepultura *Evangelistæ commemorant?*

℟. Postquam (*a*) *unus Militum lanceâ latus ejus aperuit*, sanguisque & aqua profluxit, *Nicodemus* & *Joseph ab Arimathæa*, viri inter suos nobiles ac opulenti, & jam pridem Christi discipuli, sed occulti, impetratum à *Pilato* corpus ejus à cruce deposuerunt, atque aromatibus Judaïco more conditum, sepulchro novo quod juxta Calvariæ locum in petra *Josephus* exciderat, intulerunt. Cæterùm nullam unquam sanctissimum Filii Dei corpus corruptionem subiit in sepulchro.

At verò Pontifices & Pharisæi (*b*) prædictæ sæpiùs ab ipso resurrectionis memores, signato monumenti ostio, custodes illi apposuerunt; ità Deo providente, ut resurrectionis Christi, inimici ipsi, testes fierent vel inviti.

Q. 9. *Quæ debet esse de Christi morte Christiani hominis cogitatio?*

℟. Jugiter ob oculos versari debet incomprehensibilis illa divinæ misericordiæ bonitas, quâ ut servum redimeret, Filium unigenitum dedit, qui (*c*) cum essemus inimici, (*d*) propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, pro nobis

(*a*) Joan. 19. ℣. 34. (*b*) Matth. 27. ℣. 63.
(*c*) Rom. 5. ℣. 10. (*d*) Ephes. 2. ℣. 4.

ipse satisfaciens, nos suâ morte redemit. Hoc ergo abstrusissimum divinæ pietatis Sacramentum, quod (*a*) incredulis *scandalum* est & *stultitia*, nobis in Christum credentibus tota fiducia sit salutis, utque id gratâ mente perpetuò veneremur, quod reliquum est vitæ tempus, illius obsequio consecremus, (*b*) *qui mortem nostram moriendo destruxit & vitam resurgendo reparavit.*

CAPUT XXI.

De Beneficio Mortis Christi, sive Gratiæ Salvatoris.

QUæstio 1. *Quæ nobis ex Christi morte bona obtigerunt?*

℟. Quidquid unquam ulli hominum, à lapsu Adami, (*c*) salutaris boni largitus est Deus, id totum ex Christi meritis & morte profluxit; nec porrò ulli unquam justitia, aut salus, ullumve bonum ad salutem æternam utile concedetur, nisi ex iisdem meritis Passionis, & mortis Christi. (*d*) Ita omnis spes, & gloriatio nostra in Christo est, per quem omnia petimus, per quem omnia speramus, per quem de omnibus Deo gratias agimus.

Q. 2. *Pro omnibusne omninò hominibus Christus mortuus est?*

℟. Sic planè habet Catholicæ Ecclesiæ Fides, (*e*) pro omnium & singulorum æternâ salute benignissimum Salvatorem mortem subiisse. Communem omnium causam suscepit, & pro omni-

(*a*) 1. Cor. 1. ℣. 23. (*b*) Offic. Eccles.
(*c*) Act. 4. ℣. 12
(*d*) Vide Concil. Trid. Sess. 14. cap. 8. in medio.
(*e*) 2. Cor. 5. ℣. 15.

bus nemine excluso sanguinem suum æterno Patri obtulit, ut sicut in *Adamo* omnes perierant, ita per *Christum* omnes redimerentur. Unusquisque itaque spe & consolatione plenus dicere potest cum Apostolo (*a*) *Dilexit me & tradidit semetipsum pro me.*

Q. 3. *Si pro omnibus mortuus est Christus, nonne consequens est, ut omnes pariter justitiam & salutem consequantur?*

℟. Non est consequens: etsi enim ille (inquit [*b*] Concil. Trident.) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.

Q. 4 *Quibus autem* ISTUD MERITUM *Passionis Christi communicatur?*

℟. Iis, qui in Christo renascuntur, & [*c*] ab eo statu, in quo nati sunt filii primi Adæ, per lavacrum regenerationis transeunt in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Jesum Christum Salvatorem nostrum.

Cur autem hoc meritum possionis Christi uni, non alii communicetur, (*d*) occulta sed justa sunt Dei judicia, prorsusque inscrutabilia. Nostrum est, ut hortatur Apostolus (*e*) pro tam singulari beneficio gratias semper agere Deo Patri, *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.*

Q. 5. *Omnesne ii qui in Christo renati & gra-*

(*a*) Gal. 2. ℣. 20. (*b*) Sess. 6. cap. 3.
(*c*) Sess 6. cap. 4. (*d*) Rom. 11. ℣. 33.
(*e*) Coloss. 1. ℣. 12.

tiam justificationis adepti sunt, salutem æternam consequuntur?

℟. Minimè verò, [*a*] multi enim suâ culpâ è statu justitiæ excidunt, quam si gratuito Dei munere non recuperent, æternùm pereant necesse est. Sicut autem gratia illa sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, post Evangelium promulgatum, non acquiritur: ità sine Sacramento Pœnitentiæ dignè suscepto, aut illius saltem voto non recuperatur. Hæc enim duo Sacramenta, velut totidem sanguinis sui vasa Christus instituit, quibus passionis ejus meritum hominibus justificandis applicetur.

Q. 6 *Suisne viribus homo potest adipisci justitiam, aut ad salutem pervenire?*

℟. Nequaquàm [*b*] sed singulari Dei auxilio, illiusque per Christum Jesum præveniente, excitante & adjuvante gratiâ indiget, tum ut ad justificationis gratiam disponatur, atque pertingat, tum ut in adepta justitia, per bonorum operum exercitia, & Divinorum mandatorum custodiam perseveret.

Q. 7. *Nullumne igitur opus bonum, sine gratia Christi Salvatoris à nobis fieri potest?*

℟. Nullum certè, quod ad æternam salutem consequendam conducat. Quidquid in homine salutariter bonum est, id Christi gratiæ tribuendum est, fides, justitia, Divinorum mandatorum observatio, tentationum victoria, ipsaque in bono perseverantia. (*c*) *Sine me* (inquit Christus) *nihil potestis facere.* (*d*) *Non sumus* (inquit Apostolus) *sufficientes cogitare aliquid à nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex*

[*a*] Vide Trid. Sess. 6. cap. 13. & 14. item cap. 4.
[*b*] Vide Trid. ibid. Can. 3. & 22.
(*c*) Joann. 15. ℣. 5. (*d*) 2. Cor. 3. ℣. 5.

Deo est..Quare qui hæc omnia suis viribus tribuerunt PELAGIANI, Ecclesiæ judicio rejecti, & Hæretici habiti sunt. Reprobati etiam SEMI-PELAGIANI, qui initium saltem fidei, ipsamque in bono perseverantiam in naturæ potestate sitam esse contenderunt.

Q. 8. *Si Dei præcepta sine Christi gratia servari non possint, consequens ergo est ea multis esse observatu* impossibilia.

℟. Nullo modo: Deus enim (inquit (*a*) S. Synodus Tridentina) impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis Nam qui ex nobis nihil possumus, (*b*) omnia possumus in eo, qui nos confortat.

Q. 9. *Habetne homo etiam post Adami lapsum liberam arbitrii potestatem*.?

℟. Catholicâ fide certum est, hominem non modo non *cogi*, sed ne *necessitari* quidem ad bonum vel ad malum: habere autem *indifferentiam* activam ad utrumque. Neque enim per peccatum liberum arbitrium extinctum fuit, viribus licet attenuatum & inclinatum.

Per hoc in potestate hominis situm est ad malum declinare: at verò (*c*) sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque adjutorio, nemo credere, sperare, diligere aut pœnitere potest, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, nemo sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare, nemo denique ullum bonum, quod ad Salutem quovis modo conducat, operari.

(*a*) Concil. Trid. Sess. 6. cap. 11.
(*b*) Philip. 4. ℣. 13.
(*c*) Concil. Trid. Sess. 6. Can. 3. & 22.

Q. 10. *Nonne saltem per gratiam Christi liberum hominis arbitrium destruitur?*

℟. Non destruitur, sed perficitur: neque (*a*) enim, dum divinæ gratiæ inspirationem humana voluntas recipit, velut inanime quoddam, nihil omninò agens, merè passivè se habet; imò verò eidem gratiæ liberè assentitur, & coöperatur, potestque dissentire, si velit, ipsamque inspirationem abjicere. Infirmitati igitur ejus Dei gratiâ subvenitur, ut quæ sine illa ad justitiam & pietatem se movere suâ sponte non possit, à Deo mota & excitata, aut convertatur ad justitiam, aut divina mandata servando in illa perseveret.

Q. 11. *Estne in divinæ gratiæ potestate, aversam à se & obduratam voluntatem ad se convertere?*

℟. Habet sanè Deus (*b*) omnipotentissimam inclinandorum cordium potestatem, quâ, cùm voluerit esse (*c*) propitius, rebelles ad se convertere valeat voluntates. Enimverò, teste Scriptura, (*d*) *Cor Regis in manu Domini est: quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Ille ipse est, qui, ut Apostolus loquitur, (*e*) *Operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate*, tam (*f*) *fortiter* simul & *suaviter*, ut & efficiat id quod velit, & illæsam sinat hominis libertatem.

Q. 12. *Estne auxilium gratiæ homini debitum?*

℟. Ipsum *gratiæ* nomen sonat beneficium esse *gratuitum*: si gratuitum, ergo indebitum (*g*)

(*a*) Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. & Can. 4.
(*b*) S. Aug. lib. de corrept. & grat.
(*c*) Secret. Dominic. 4. post Pentecòst. Item Sabbat. post Dominic. 4. Quadrag. (*d*) Prov. 21. ℣. 1.
(*e*) Philip. 2. ℣. 13. (*f*) Sap. 8. ℣. 1.
(*g*) Vide Aug. Epist. 107. nunc 217. ad Vital. §. 5. & 6. Item de corrept. & grat. c. 5. & 6. S. Thom. 1. 2. q. 2. art. 4. ad. 1.

Quibus datur misericorditer datur, quibus autem negatur, justè negatur.

Q 13. *Redige in compendium ea quæ de gratia Christi Salvatoris scitu necessaria sunt homini Christiano*

℞. 1. Est, eam ad singulos actus bonos ac salutares esse necessariam.

2. Divinæ gratiæ operationem cum arbitrii libertate consistere: adeò ut æqualis periculi res sit, aut liberum arbitrium tollere, aut Christi gratiam evacuare

3. Est, gratuitam esse atque indebitam sollicitaque proinde à Deo oratione petendam. Quod si petatur ut oportet, certa debet esse impetrandi securitas.

4. Est, ut nullo pacto dubitemus, quin, culpabiles simus, & pœnâ digni, quoties Dei legem deliberatâ voluntate transgredimur: contrà verò per bona opera quæ in Deo facta sint, vitam æternam mereamur; cùm tanta sit Dei ergà nos bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

Denique & hoc adjungi potest, non opus esse curiosiùs exquirere, quod sit Divinæ providentiæ in suæ gratiæ dispensatione consilium, quis ejus operandi modus, quæ efficaciæ ratio. Christiano homini satis erit ea tenere, quæ dicta sunt, si modò in praxim fideliter redigantur; ità ut in omnibus à Dei per Christum benignitate dependeat, ferventer oret, virium suarum infirmitatem agnoscat, totamque boni operis laudem Deo acceptam ferat, quibus in rebus præcipuæ, Christianæ humilitatis, partes sitæ sunt.

CAPUT XXII.

De 5. *Symboli Articulo, Descensu ad inferos, & resurrectione Christi.*

QUintus Symboli Articulus his verbis expressus est :

DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS.

Q. 1 *Quid prior illa pars indicat :* DESCENDIT AD INFEROS ?

℟. Docet Christum, postquam expiravit, secundùm animam descendisse ad eum INFERORUM locum subterraneum, ubi eorum animæ, qui in fide & expectatione Redemptoris, Deique amicitiâ decesserant, velut in carcere detinebantur donec per Christi sanguinem (*a*) Sanctorum via, Cœlique janùa recluderetur.

Q. 2 *Nonne* INFERORUM *nomine sepulchrum potiùs intelligendum est ?*

℟. Nequaquam : superiori enim articulo *Christum Dominum* sepultum esse edocti sumus ; nec ulla causa erat, cur in fide tradenda alio, & quidem obscuriori loquendi genere, res eadem statim repeteretur.

Omninò ergò tenendum est, ipsam Christi animam re & præsentiâ *ad inferos* descendisse : non eum quidem locum ubi damnatorum animæ torquentur, sed illud ubi justorum animæ à Dei conspectu tantisper exclusæ, Messiæ advertum & redemptionem præstolabantur ; quod olim, in Christi persona loquens, prædixit Propheta Regius, dicens (*b*) *Non derelinques animam meam*

(*a*) Heb. 9. ℣. 8.
(*b*) Psalm. 15. ℣. 10. Act. 2. ℣. 27.

in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Q. 3 *Simulne Christus & in* sepulchro *jacuit, & apud* inferos *fuit?*

℟. Christi anima dumtaxat apud inferos, corpus in solo sepulchro fuit : Divinitas & persona VERBI utrobique. Nam, ut jam ante dictum est, quamvis anima à corpore discesserit, numquam tamen *Divinitas* vel ab anima vel à corpore separata fuit.

Q. 4. *Quâ de causâ* ad inferos *Christus descendit?*

℟. Ut justos in ea captivitate degentes, lætissimâ præsentiæ suæ luce perfunderet, indèque eductos, in cœlum secum abduceret, triumphi sui comites, testesque victoriæ.

Q. 5. *Quanto tempore in sepulcro Christus jacuit?*

℟. Feriâ 6. ad vesperam è cruce depositus & sepulcro illatus, tertio deinceps die, id est Dominico, summo manè *resurrexit.*

Q. 6. *Quomodo verò* resurrexit?

℟. Non alienâ, sed propriâ virtute animam quæ à corpore separata fuerat, illi denuò indissolubili nexu conjunxit : atque ita ad vitam novam gloriosam & immortalem resurrexit, non ultra moriturus. Quod quidem nemini antè illum contigit, quæ ratio est, cur ab Apostolo (*a*) *Primitiæ dormientium & primogenitus ex mortuis* Christus nuncupetur.

Q. 7. *Quid Christo resurgente contigit?*

℟. Cùm jam è sepulcro clauso redivivus prodiisset, ingens terræ motus factus est, (*b*) des-

(*a*) 1. Cor. 15. ℣. 20. Coloss. 1. ℣. 18.
(*b*) Matt. 28. ℣. 2.

cendensque è cœlo Angelus removit lapidem, quo sepulcri ostium claudebatur, eique insedit.

Hoc porrò prodigium, unà cum splendore fulgureo, quem cœlestis ille spiritus ex habitu quem assumpserat, emittebat, custodes sepulcri tanto terrore ac metu perculit, ut in terram corruerint velut mortui.

Hi, cùm deinde Principibus Sacerdotum rem ut contigerat, retulissent, (*a*) pecuniâ ab illis acceptâ inducti sunt, ut corpus Jesu noctu, se dormientibus, à discipulis ablatum fuisse divulgarent, (*b*) quasi videlicet adhibenda fides foret testi dormienti.

Q. 8. *Quorum igitur testimonio Christi* Resurrectio *nobis innotuit* ?

R. Eorum, quibus ipse à morte redivivus (*c*) 40 dierum spatio diversis locis, atque temporibus, sæpè repetitis vicibus apparuit, iis se videndum ac palpandum præbens, cum ipsis loquens ac comedens, eosque de rebus ad suam Ecclesiam fundandam, regendamque spectantibus erudiens.

Hi tantæ rei (*d*) testes à Deo præordinati, cùm dubitassent primum, nec nisi certâ rei veritate convicti credere voluissent, quod ipsi viderant, toto orbe nuntiandum susceperunt; & ut efficaciùs testarentur, suum ipsi testimonium, ferè omnes proprio sanguine consignarunt. Et quamquam rudes essent ac simplices, ex tanto numero (erant quippè ut minimùm quingenti, (*e*) qui quod viderant testabantur) nullus inventus est, qui suppliciis promisisve adigi posset, ut quod testatus fuerat revocaret.

(*a*) Ibid. ℣. 12. & 15.
(*b*) Vide Aug. in Psalm. 65. ℣. 7. (*c*) Act. 1. ℣. 3.
(*d*) Act. 10. ℣. 41. (*e*) 1. Cor. 15. ℣. 6.

Adde miracula gentiumque conversionem, & conclude, certam, liquidam atque evidentem esse veritatem Resurrectionis Christi; qui quidem Articulus jure habetur totius Christianæ Religionis *fundamentalis*.

Q. 9 *Quoties post Resurrectionem suam discipulis apparuisse Christus legitur?*

℟. Ex variis, decem illius *Apparitiones* Scriptura commemorat, quæ hoc ordine contigerunt.

1. Visus est (*a*) *Mariæ Magdalenæ* in specie hortulani. Hoc illa ad monumentum plorans, zeli sui atque ardoris præmium tulit

2. Visus est & (*b*) aliis *mulieribus* à sepulcro redeuntibus, quibus in via occurrit. His *Jesus* mandavit, ut discipulis quod viderant nuntiarent; sed illi quæ narrabantur, pro somniis habuerunt.

3. (*c*) *Simoni Petro* Apostolorum Principi Christus apparuit.

4. (*d*) *Duobus Discipulis* euntibus in *Emaus* peregrini specie itineris comitem se adjunxit, ac demùm in fractione panis agnitus, ex eorum oculis evanuit.

5. (*e*) Clausis januis repente in medio Apostolorum stetit, absente *Thoma*: cùmque suis ipsi oculis non satis fiderent, manus illis pedesque ac latus palpanda obtulit: coram iis comedit ac demùm insufflavit in eos dicens: (*f*) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: quibus verbis pœnitentiæ Sacramentum instituit. Hæc hactenus primo resurrectionis die.

(*a*) Matt 28. Marc. 16 Joan. 20.
(*b*) Matt. 28. ℣. 9. Luc. 24. ℣. 11.
(*c*) Luc. 24. ℣. 34. 1. Cor 15. ℣. 5.
(*d*) Luc. 24. (*e*) Marc. 16. ℣. 14. Luc. 24. ℣. 39.
(*f*) Joan. 22. ℣. 19.

6. Post octiduum, iterum Apostolis omnibus eodem modo apparuit, *Thomas*que hactenùs incredulus, suorum jam sensuum experimento convictus, pertinaci incrudelitate depositâ, exclamavit: (*a*) *Dominus meus & Deus meus*!

7. Piscantibus in Gallilæa [*b*] *septem Discipulis*, in littore visus & agnitus est, postquam ejus jussu jectis retibus, ingentem subitò piscium multitudinem conclusissent. Iterùm cum iis comedit, & *Petro* suas oves pascendas commisit.

8. Discipulis plusquam [*c*] *quingentis*, in monte Gallilææ, quem iis olim ipse constituerat, visus est.

9. Apparuit Apostolo *Jacobo*, primo Hierosolymorum Episcopo: quam Apparitionem [*d*] S. Paulus memoriæ prodidit.

10. Denique Apostolis simul omnibus apparuit [*e*] in Bethania, cùm illis videntibus in cœlum *ascenderet* qua de re mox infrà tractabitur.

Vix dubitari potest, quin mox à resurrectione suâ, dilectissimæ Matri Christus apparuerit; sed ob varias rationes id Spiritus Sanctus in Sacris litteris expressum noluit.

Q. 10 *Quid ex Christi resurrectione pro moribus nostris statuendum est:*

℟. Præter certam fiduciam *Resurgendi* aliquando ad vitam immortalem, quam nobis Christus suâ resurrectione peperit, duo insuper à Christi resurrectione *Exempla* petere debemus.

Primum est, ut [*f*] *Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus*, exutâ scilicet peccati vetustate, novum vitæ genus instituentes, in quo

(*a*) Ibid. ℣. 28. (*b*) Joann. 21.
(*c*) Matth. 28. ℣. 16. 1. Cor. 15. ℣. 6. (*d*) 1. Cor. 15. ℣. 7.
(*e*) Luc. 24. ℣. 50. (*f*) Rom. 6. ℣. 4.

morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, justitia, beneficentia, humilitas, cæteræque virtutes eluceant.

Alterum est, ut (a) *Scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors que illi ultra non dominabitur*, nos quoque in eo novæ vitæ instituto ità perseveremus, ut adjuvante Domino, à justitiæ via quam semel ingressi fuerimus, non deflectamus.

Q. 11. *Quo verò indicio quisque cognoscet, sitne ad spiritualem vitam resuscitatus?*

℟. Et si citrà specialem Dei revelationem, plenâ cum certitudine nemo scire possit se ad spiritualem vitam esse resuscitatum, hanc interim aliqualem notam dedit Apostolus, (b) si *quæ sursum sunt* quærat: *quæ sursum sunt* sapiat, *non quæ super terram*. Si videlicet (c) quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, alicui sapiant, si ad res supernas, divinas atque æternas, studia & cogitationes conferat, rerumque cœlestium jucunditatem intimæ mentis sensu percipiat, id certè maximo argumento erit cum qui ità affectus sit, ad novam spiritualem vitam unà cum Christo resurrexisse.

CAPUT XXIII.

De 6. Symboli Articulo, Ascensu Christi in Cœlum, ejusque ibidem gloria, officio & potestate.

Sextus Articulus hisce verbis proponitur: Ascendit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Duas igitur partes habet.

(a) Ibid. ℣. 8. (b) Coloss. 3. ℣. 1. (c) Philip. 4. ℣. 8.

Q. 1. *Quid priore ejus parte profitemur?*

℟. Christum à morte redivivum, perfecto jam & absoluto redemtionis nostræ mysterio, *ut homo est*, in cœlum corpore & animâ ascendisse: nam *ut Deus est*, immensitate suâ implens omnia, à cœlo nunquam abfuit.

Q. 2. *Quas gloriosi illius ascensus circumstantias Scriptura commemorat?*

℟. Quadragesimo die à resurrectione suâ Apostolis Hirosolymis congregatis Christus aparuit, dixitque: (*a*) *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Solemnis certè promissio, non deserendam unquam à Christo Ecclesiam.

Ipsis deinde, (*b*) iisque etiam, qui per eos creduturi erant, & Ecclesiam propagaturi, miracula patrandi potestatem pollicitus est (*c*) *Aperuit illis sensum*, mentisque oculos cœlesti sapientiâ illustravit, *ut intelligerent Scripturas.* (*d*) Jussit etiam ut in urbe Hierosolyma promissum sibi Spiritum Sanctum expectarent.

Post hæc [*e*] *Eduxit eos foras in Bethaniam*, indeque in [*f*] *montem Oliveti qui est juxta Jerusalem*, quo in loco cum elevatis manibus Discipulis suis Jesus benediceret, [*g*] *ipsis videntibus est elevatus* in Cœlum, *& nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

Cum autem Magistrum abeuntem, oculis ac

(*a*) Matth. 28. ℣. 18. &c. (*b*) Marc. 16. ℣. 17.
(*c*) Luc. 24. ℣. 51. (*d*) Ibid. ℣. 49.
(*e*) Luc. 24. ℣. 50. (*f*) Act. 1. ℣. 12.
(*g*) Act. 1. ℣. 9.

desiderio Discipuli sequerentur, [a] duo illis Angeli virili specie, vesteque splendenti apparuerunt, monentes *Jesum* quem mox ascendentem viderant, simili aliquando cum gloria rediturum.

Tunc simul omnes Hierosolymam reversi [b] in oratione unanimiter perstiterunt, præstolantes futurum propediem Spiritus Sancti adventum.

Q. 3. *Suane an alienâ virtute in Cœlum Christus ascendit?*

℟. Alienâ olim virtute [c] *Elias* igneo curru in cœlum evectus est: at *Christus* virtute propriâ, non solùm divinitatis, sed ipsius etiam humanitatis, corpore jam glorioso & immortali, per *agilitatis* dotem, moventis animæ imperio sine ulla difficultate obsequente.

Q. 4. *Nulline ascensionis illius ac triumphi comites adfuêre?*

℟. Fuerunt utique, ut suprà insinuatum est, præter cœlestes spiritus, justorum illæ animæ, quas ab *inferorum* carcere liberaverat: has nempe secum in gloriæ, quam adibat, possessionem induxit.

Q. 5. *Christusne ex quo in cœlum abiit, terram nostram omninò dereliquit?*

℟. Hanc quidem visibili suâ præsentiâ destituit: attamen in ea etiamnùm præsens est invisibiliter, idque duplici potissimùm ratione: 1. quidem *realiter* ac *substantialiter* præsens est in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento 2. Ecclesiæ suæ, universisque fidelibus, favore, auxilio & protectione spiritualiter adesse non desinit.

Q. 6. *Quid posterior pars Articuli indicat:* SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS?

(a) Ibid. ℣. 10. (b) Ibid. ℣. 14. (c) 4. Reg. 2. ℣. 11.

℟. Gloriam designat & dignitatem, quam Jesus Christus, divinitate æqualis Patri, secundùm humanitatem, post passionem & labores adeptus est.

Q. 7. *Deusne Pater* DEXTRAM *habet aut sinistram, ut ad illam Christus sedeat?*

℟. Nullo modo: est enim purus Spiritus, qui nec membra habet, nec figuram. Humano igitur sensui accomodata locutio est, quâ nihil aliud significatur, quam humanam Christi naturam, super omnes creaturas dignitate & gloriâ in cœlis esse evectam. Quos enim hìc homines honore affectos volunt, ad dextram collocare consuèverunt.

Q. 8 *At verò quod hìc Christus* SEDERE *dicitur, idne ad situm ac figuram corporis referendum est?*

℟. Non, sed ad Regiæ summæque potestatis ac gloriæ firmam & stabilem possessionem quam à Patre accepit.

Q. 9. *Quodnam pro nobis Christi in cœlis officium est?*

℟. Advocati, Mediatoris atque Pontificis: nam, ut Apostolus loquitur, (*a*) *Introivit Jesus in cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, (*b*) *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, sanguinemque quem semel pro communi omnium salute effudit, æterno Patri perpetuò exhibens. Quod quidem spei nostræ atque fiduciæ magnum debet esse incitamentum.

Q. 10. *Quid verò prætereà pro moribus nostris ex Christi* ascensione *statuendum est?*

℟. 1. Christus caput est corporis illius, cujus nos Dei benignitate membra sumus. Si ergò illi ut Capiti fideliter adhæremus, spes firma ac cer-

(*a*) Hebr. 9. ℣. 14.
(*b*) Hebr. 7. ℣. 25. 1. Joan. 2. ℣. 1.

ta eſt fore, ut quò Caput præceſſit, nos quoque membra ſequamur; quippe non ſuo tantùm, ſed & membrorum ſuorum nomine, immortalis illius gloriæ poſſeſſionem adiit.

2. Id quoque aſcenſu ſuo docere nos Chriſtus voluit, ut etiamnùm in terris poſiti, mente tamen in cœleſtibus habitemus, confitentes nos (a) perigrinos & hoſpites eſſe ſuper terram, ac patriam inquirentes, (b) civeſque eſſe Sanctorum ac domeſticos Dei, quorum proinde, ut monet Apoſtolus, (c) converſatio debeat in cœlis eſſe.

CAPUT XXIV.

De 7. Articulo Symboli Apoſtolorum, id eſt de poteſtate Chriſti judiciaria.

SEptimus Articulus eſt:

Inde VENTURUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS.

Q. 1. *Quid iis verbis credere nos profitemur?*

℟. Agnoſcimus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non tantùm humani generis Redemptorem ac Mediatorem, ſed Judicem etiam (d) *à Deo eſſe conſtitutum.* Omnem enim judicandi (e) *poteſtatem Pater dedit Filio*, prout homo eſt, ita ut (f) *ante tribunal Chriſti manifeſtari omnes oporteat*, ut unuſquiſque prout geſſit in ſuo corpore, ſive bonum, ſive malum, ab illo recipiat.

Q. 2. *Nonne omnes omninò homines morituri ſunt?*

℟. Hoc planè plurimis in locis Sacra Scriptura inſinuat, omnibus (g) *hominibus ſtatutum*

(a) Hebr. 11. ℣. 13. (b) Epheſ. 2. ℣. 19.
(c) Philip. 3. ℣. 20. (d) Act. 10. ℣. 42.
(e) Joan. 5. ℣. 22. & 27. (f) 2. Cor. 5. ℣. 10.
(g) Hebr. 9. ℣. 27.

esse semel mori, atque uti peccatum originale in omnes propagatur, sic (*a*) mortem quoque, illius pœnam, in omnes transituram.

Q. 3 *Si omnes omninò homines morituri sunt, quid igitur in præsenti articulo* VIVORUM *ac* MORTUORUM *nomine significatur?*

℟. *Vivorum* nomine hìc ii intelliguntur, quos extremi judicii dies *vivos* adhuc in carne reperiet: qui tamen non ante sistentur Judici, quàm brevi morte mediâ, ad vitam iterum fuerint revocati *Mortui* autem ii intelliguntur, qui ante supremum diem illum ex hâc vitâ discesserint. Vel simpliciter *vivorum* nomine designantur ii, qui dum hic symboli Articulus recitatur, adhuc in vivis sunt: *mortuorum* verò nomine cæteri, qui jam inde obierint.

Q. 4. *Solùmne in consummatione sæculi homines* judicandi *sunt?*

℟. *Judicium* GENERALE, quod omnes omnium sæculorum homines uno die atque uno in loco, resumptis corporibus simul subituri sunt, ut omnibus inspectantibus atque audientibus, quid de singulis decretum & judicatum sit, palam fiat, id utique in fine sæculi celebrabitur. At verò, præter hoc, aliud judicium est, quod *privatum* vocant, aut PARTICULARE.

Q. 5. *Quomodo autem, & quonam tempore* privatum *istud judicium exercetur?*

℟. Tum, cum unusquisque nostrûm migrat è vita: nam statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus justissima quæstio habetur, quæcumque aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit unquam: ac demùm unumquemque necesse est præsentem Judicis subire sententiam.

(*a*) Rom. 5. ℣. 12. 1. Cor. 15. ℣. 22.

Qui in Dei amicitia & sanctitate decesserit; ita quidem ut expiandum illi nihil ultrà supersit, (*a*) mox ad Dei conspectum, sempiternæque gloriæ possessionem admittitur.

Si verò justus quidem, sed nondum plenè sit expiatus, à Dei conspectu tantisper excluditur, donec per congruas pœnas, aut pia vivorum suffragia, divinæ justitiæ fuerit satisfactum.

Quod si in Dei inimicitia, & reatu peccati mortalis infelicem vitam quispiam terminaverit, hic justâ ejusdem judicis sententiâ, sempiternis suppliciis mancipatur.

Q. 6. *Quid opus est post hoc judicium* particulare, *aliud* generale *institui?*

℟. Variæ illius rei causæ sunt; ac prima quidem, ut (quod aliter haberi nequit) perfecta & completa sit retributio rerum bene aut malè gestarum, quarum sæpè effectus longo post mortem tempore, imò usque ad finem sæculi extenduntur; ut ab una parte in *Apostolis*, veritatis prædicatione Ecclesiam fundantibus: ex altera verò, in *Hæresiarchis*, doctrinam Ecclesiæ corrumpentibus, illiusque unitatem scindentibus potest esse manifestum.

2. Est, ut læsa piorum fama coràm omnibus reparetur: laudibusque econtrariò celebrata impiorum hypocrisis & improbitas, palàm denudetur.

3. Ut corpora, quæ benè & malè factorum solent esse instrumenta, suam quoque in præmio aut supplicio partem habeant.

4. Ut quia divina providentia à multis sæpè improbis blasphematur & arguitur, illius suprema æquitas & justitia palàm omnibus innotescat.

5. Ut metu & expectatione futuri aliquando

(*a*) Vide istius veritatis confirmationem Philip. 1. ℣. 23. 2. Cor. 5. ℣. 8, Apocal. 20. ℣. 4.

judicii, sempiternæque improborum omnium confusionis, ceu fræno quodam, à malis homines avocentur.

Q. 7. *Quonam autem* tempore *generale judicium celebrandum est?*

R. Diem istum non modò homines sed & (*a*) *Angelos* latere voluit æterna Dei providentia. Id unum scimus, quod (*b*) *sicut fur in nocte, ita veniet* ad judicium dominus, ut in perpetua (*c*) vigilantia vitam transigamus.

Q. 8. *Quænam imminente mundi fine, universale judicium antecedent?*

R. In Sacris Litteris hæc sequentia indicantur. 1. Erunt per varia loca (*d*) terræmotus, fames, pestis, & bella atrocia.

2. (*e*) Abundabit iniquitas, refrigescet autem charitas multorum.

3. (*f*) Evangelium toto orbe prædicabitur.

4. Apparebit (*g*) *Antichristus* dirè persequens nomen Christianum.

5. Contra illum conflicturi advenient *Henoch* & *Elias*, quos ad hunc finem olim à Deo raptos, vivos etiamnùm servari, & ab Antichristo necandos (*h*) Sacra Scriptura insinuat.

6. Denique (*i*) obstinata hactenus Judæorum natio ad Christum convertetur.

Q. 9. *Quid de* Antichristo *è Sacris Litteris eruitur?*

R. 1. (*k*) *Homo peccati*, & *filius perditionis* ab Apostolo nominatur, *qui*, *inquit*, *adversatur &*

(*a*) Matth. 24. ℣. 46. (*b*) 1. Thess. 5. ℣. 2. & 4.
(*c*) Matth. 24. ℣. 42. & 43. (*d*) Luc. 21. ℣. 11.
(*e*) Matth. 24. ℣. 12. (*f*) Matth. 24. ℣. 24.
(*g*) Vide 1. Joan. 2. ℣. 18.
(*h*) Apoc. 11. ℣. 8. Matth. 17. 11. Heb. 11. ℣. 5. Eccli. 44. ℣. 16. (*i*) Matth. 10. ℣. 23, Rom. 11. ℣. 26.
(*k*) 2. Thess. 2. ℣. 3. & 4.

extollitur suprà omne, quod dicitur Deus : ità ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.

2. Persecutionem quam contra Christi nomen & Ecclesiam suscitabit, tam fore terribilem, & (*a*) seductionem ejus in signis prodigiisque mendacibus, tam potentem, ut (*b*) in errorem inducendi essent, si fieri posset, etiam electi. Hanc tamen persecutionem (*c*) brevi tempore duraturam Sacra Scriptura insinuat.

3. Iniquum illum (*d*) *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui.*

4. Proindè non nisi imminente mundi fine *Antichristus* apparebit, quando videlicet (*e*) prædicato per universum orbem Evangelio pro foribus erat consummatio.

Q. 10. *Nondumne igitur in terris hactenùs* Antichristus *apparuit ?*

℟. Certum planè est & ex Scripturis evidens nondum apparuisse hominem illum impium, filiumque perditionis, de quo jam statim dictum est : adeò ut luce meridianâ clarius sit, quo spiritu acti fuerint *Protestantes*, qui visibile Ecclesiæ Christi caput, Apostolorum Principis Successorem, *Antichristum* illum esse, pudendâ posteris calumniâ asseruerunt.

Tam enormis insolentia, tamque furibunda impostura, quâ tot primæ illius Sedis Episcopi, quibus nihil antiquius est quàm *Christi* nomen & gloriam dilatare, *Antichristi* nuncupantur, non alios poterat habere auctores, quàm qui ipsimet in Sacris Litteris latiori sensu vocantur *Anti-*

(*a*) Ibid. ℣. 9. & 10. (*b*) Matth. 24. ℣. 24.
(*c*) Matth. 24. ℣. 22. Apoc. 20. ℣. 3. & c. 12. ℣. 14.
(*d*) 2. Thess. 2. ℣. 8. (*e*) Matth. 24. ℣. 14.

christi. Sic autem à *Joanne* [*a*] nuncupantur *Hæretici*, qui utique *Christi* doctrinam corrumpentes ejusque Ecclesiam conturbantes, illi oppositi sunt, id quod latiori sensu est esse *Antichristum*.

Q. 11. *Quænam erit extremi judicii forma, quæ circumstantiæ?*

℟. Præter resurrectionem generalem de qua infrà.

1. (*b*) *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum*, virtutes cœlorum commovebuntur, stellæ obtenebrescent, universa denique natura horrendo fremito sus deque eversa, ultimo (*c*) *conflagrationis igne* absumetur.

2. Apparebit in nubibus Crux Christi, (*d*) *Signum* istud gloriosum *Filii hominis*, signum triumphi ejus.

3. Apparebit ipse (*e*) *in sede Majestatis suæ* cum potestate magnâ, Sanctorum omnium turbâ circumdatus, qui simul omnes & [*f*] rebelles angelos & homines impios, cum Christo judicaturi sunt.

4. [*g*] *Exibunt Angeli*, & separabunt Electos à reprobis, illos à dextris, hos autem à finistris Christi constituentes. Sententiam deinde justus & inexorabilis Judex pronuntiabit, Electis quidem dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c.* Reprobis verò terribili voce dicturus est: *Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus*

(*a*) 1. Joann. 2. ℣. 18. & 22. cap. 4. ℣. 3. epist. 2. ℣. 7.
(*b*) Matth. 24. ℣. 29. (*c*) 2. Pet. 3. ℣. 10.
[*d*] Matt. 24. ℣. 30. [*e*] Matth. 19. ℣. 28. & cap. 25. ℣. 31.
(*f*) 1. Cor. 5. ℣. 3.
(*g*) Matth. 13. ℣. 49. Vide Matth. 25. à vers. 31. usque ad finem.

est diabolo & Angelis ejus Esurivi enim & non dedistis mihi manducare &c.

Q. 12. *Quæ ex tam terribilis expectatione judicii nobis formanda conclusio est?*

℟. [a] *Cum metu tremore* salutem nostram nos debere operari, satagentes ut [b] *dum tempus habemus, operemur bonum, atque ita certam nostram vocationem & electionem* faciamus, sic semper viventes qualiter velimus mori: nam quales nos incerta illa mortis hora inveniet, tales quoque extremus dies exhibebit.

CAPUT XXV.

De 8. Symboli Articulo: SPIRITU SANCTO, *Adventu ejus, donisque & fructibus.*

OCtavus Articulus est:

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

Q. 1. *Quid hisce verbis profitemur?*

℟. Agnoscimus tertiam in Deitate Personam *Spiritum Sanctum*, qui ex [c] Patre Filioque procedens, [d] verus, utrique coæternus, coæqualis ac consubstantialis Deus existit, & eâdem fide, parique cultu, & honore colendus est.

Q. 2. *Quis inter Hæresiarchas Divinitatem Spiritûs Sancti præcipuè oppugnavit?*

℟. *Macedonius*, qui cum impio suo dogmate in [e] prima Synodo Constantinopolitanâ damnatus fuit Contra illum hæc in Symbolo prædictæ Synodi verba expressa sunt: *Credo & in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem,*

[a] Philip. 2. ℣. 12. [b] Gal. 6. ℣. 10. 2. Pet. 1. ℣. 10.
(c) Joann. 15. ℣. 26. item cap. 16. ℣. 14. & 15.
(d) Matth. 28. ℣. 19. 1. Cor. 6. ℣. 19. 1. Joan. 5. ℣. 7.
(e) Habitâ sub Damasa Papa & Theodosio Seniore Imperatore, anno 381.

qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, ac conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.

Græcorum Schismaticorum pertinax error est, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere Contra illum verbis Symboli Constantinopolitani, auctoritate Ecclesiæ romanæ adjecta est vox Filioque, ità ut à pluribus jam sæculis hoc modo ea pars Symboli recitetur : *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Q. 3. *Quare in Symbolo Constantinopolitano Spiritus Sanctus* vivificans *dicitur, itemque* locutus per Prophetas ?

℟. Sicut Patri Potentia, Filioque Sapientia, ità Spiritui Sancto omnes divini erga nos amoris effectus tribuuntur : propterea quòd per amorem à Patre Filioque procedat. *Vivificans* ergo dicitur, quia vitam nobis & corporis & animæ peramanter impertit, ità ut sine vivifica inspiratione ejus, nec corporaliter nec spiritualiter possimus vivere. *Locutus* autem dicitur (*a*) *per Prophetas*, quia non nisi ejus afflatu factum est, ut Prophetæ futura prædixerint, Deique voluntatem hominibus nuntiarint.

Q. 4. *Quinam præ cæteris Spiritûs Sancti dona abundantiùs perceperunt ?*

℟. Apostoli & Discipuli Domini, qui post Ascensionem Christi Hierosolymam reversi, & in oratione cum Maria Matre Domini unanimiter perseverantes, decimo die, qui erat quinquagesimus à Christi Resurrectione, (*b*) repentè omnes Spiritu Sancto impleti sunt, tantòque fervore accensi, ut in alios quodammodo homines mutati viderentur. Omnium gentium linguis

(*a*) 2. Pet. 1. ℣. 21. (*b*) Act. 2.

loquebantur, omnique terrore postposito, Christum à morte redivivum esse prædicabant, eo successu, ut ad primam Petri concionem, tria Judæorum millia Christi fidem amplexa, petierint baptizari.

Q. 5. *Solisne Apostolis, primisque illis Christi Discipulis* Dona *sua Spiritus Sanctus communicare voluit?*

℞. Inter Spiritûs Sancti dona, alia ad propriam hominis sanctificationem pertinent, solisque *justis* sunt propria: alia divinam potiùs potentiam manifestant & ad alienam præcipuè utilitatem dantur, dicique solent *gratiæ gratis datæ*, ut dona linguarum, sanitatum & miraculorum; atque hæc fundandæ propagandæque Religioni necessaria, Apostolis, primisque passim fidelibus data sunt; nunc autem minùs necessaria, rariùs conceduntur, nihilque vetat quo minùs & *impiis* aliquando sint communia.

Q 6. *Quænam assignari solent* Dona *Spiritûs Sancti quæ ad hominis sanctificationem pertinent?*

℞. Ex Isaïa Propheta (*a*) à sanctis Patribus recensentur septem: videlicet *Donum Sapientiæ, donum Intellectûs, Consilii, Scientiæ, Fortitudinis, Pietatis ac Timoris Domini*. Quæ quidem in Christum Dominum (*b*) sine mensura effusa sunt, ab ipso autem, ceu capite & fonte omnis gratiæ, in viva ejus membra (*c*) derivantur.

Q 7. *Explica breviter recensita illa Dona Spiritûs Sancti?*

℞. Filici potiùs experientiâ, quàm humanis verbis cognoscenda sunt. Id interim paucis observari potest, ea esse veluti scalam quamdam

(*a*) Cap. 11. ℣. 2. (*b*) Joan. 5. ℣. 34.
(*c*) Joan. 1. ℣. 16.

mysticam, quâ ad æternam felicitem fideles ascendere debeant.

Primus itaque gradus est *Timor Domini*, quò homo ex reverentia filiali à malo avocatur, ne Deum offendat benignissimum patrem. Hic ille est qui toties in Sacris Litteris (*a*) *Principium Sapientiæ* nominatur.

2. Hinc ad *Pietatem* (*b*) ascendit, quâ prompto animo Deo devotam subditamque voluntatem, proximo autem sinceræ benevolentiæ affectum impendit.

3 Gradu pertingit ad *Scientiam* (*c*) quâ vanitatem atque instabilitatem rerum omnium humanarum purificatæ mentis oculis intuetur.

4. Inde quartò gradu nascitur *Fortitudo* (*d*) quâ se contrà illecebras mundi, carnis & diaboli indefessâ generositate tuetur ne iis succumbens animus in miserrimam incidat servitutem.

5. Quod ut prudenter, non temerè fiat, additur, *Donum Consilii* (*e*) quo mens prospiciat, quomodo in arduis subitisque eventibus se gerere, quid eligere, quid repudiare oporteat.

6 Sic deinceps ad clariorem rerum divinarum cognitionem sexto gradu ascendit per *Donum Intellectus* (*f*) ut postremò.

7. Perveniat ad *Sapientiam*, quâ non tantùm intelligitur, sed & sapitur quodammodo atque gustatur Deus, juxta illud Psalmi 33. (*g*) *Gustate & videte quoniam suavis est Dominum.* Hic est ille gradus, quo quantùm in hâc vita licet

(*a*) Psalm. 110. ℣. 10. Prov. 1. ℣. 7. &c.
(*b*) 1. ad Tim. 4. ℣. 8. & cap. 6. ℣. 6.
(*c*) Psalm. 93. ℣. 10. 11. & 12.
(*d*) 1. Pet. 5. ℣. 9. Psalm. 42. ℣. 2. Act. 6. ℣. 8.
(*e*) Prov. 13. ℣. 10. & 16.
(*f*) Psalm. 118. ℣. 34. &c. Eccli. 15. ℣. 3. & 5.
(*g*) Psalm. 33. ℣. 9.

humana mens Deo adhæret, atque in illo suavissimè conquiescit.

Q. 8. *Quinam dicuntur* Fructus *Spiritûs Sancti?*

℟. Illos Apostolus Paulus hoc modo enumerat: (*a*) *Charitas*, *Gaudium*, *Pax*, *Patientia*, *Longanimitas*, *Bonitas*, *Benignitas*, *Mansuetudo*, *Fides*, *Modestia*, *Continentia*, *Castitas.*

Hæ itaque virtutes ex donis Spiritûs Sancti tamquam suavissimi quidam *fructus* consequuntur, nosque veluti frugiferas (*b*) arbores in Ecclesiæ agro plantatas commendant: atque id insuper præstant, ut homo Christianus adversus *carnis opera*, velut spirituali quâdam armaturâ sit instructus & confirmatus.

Q. 9. *Quænam sunt* Opera carnis?

℟. De iis eodem loco Apostolus ita disserit: „(*c*) *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt Fornicatio*, *Immunditia*, *Impudicitia*, *Luxuria*, *Idolorum servitus*, *veneficia*, *inimicitiæ*, *contentiones*, *æmulationes*, *iræ*, *rixæ*, *dissensiones*, *sectæ*, *invidiæ*, *homicidia*, *ebrietates*, *commessationes*, *& his similia: quæ pædico vobis sicut prædixi: quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*„

Subjungit deinde, (*d*) *Qui autem Christi sunt*, *carnem suam crucifixerunt*, *cum vitiis & concupiscentiis.* Monet denique idem Apostolus: (*e*) „*Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo*, *hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua*, *de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu*, *de spiritu metet vitam æternam.*„

Cæterùm ut eâ, quâ par est, solicitudine, *carnis*, id est corrupti hominis, *opera* fugiamus,

(*a*) Gal. 5. ✝. 22. (*b*) Matth. 7. ✝. 17. (*c*) Gal. 5. ✝. 19. (*d*) Gal. 5. ✝. 24. (*e*) Gal. 6. ✝. 7.

memores nos esse oportet, membra nostra esse (a) *Templum Spiritus Sancti*, quod ille inhabitat, quamdiu in (b) *cordibus nostris diffusa* per eum, *Dei charitas* perseverat.

CAPUT XXVI.

De propagatione Evangelii, & certissima veritate Religionis Christianæ.

Quæstio 1. *Quid post acceptum Spiritum Sanctum Apostoli egerunt?*

℟. Christum Jesum à morte redivivum (c) *Judæis* primùm atque (d) *Samaritanis*, dein (e) gentibus prædicarunt. Judæorum quidem non pauci crediderunt, plerique Evangelio pertinaciter restiterunt, primosque fidei præcones modis omnibus persecuti sunt.

Q. 2. *Quomodo hæc Judæorum perfida obstinatio punita fuit.*

℟. 40. Circiter annis post Christi mortem, tota fere gens illa à *Romanis* excisa est sub Imperatore Vespasiano & Tito filio ejus. (f) Durante obsidione horrenda fames inclusos mœnibus in eam rabiem impulit, ut humanis vescerentur carnibus, ac natorum etiam corpora matres absumerent: & undecies centena hominum millia, quod penè fidem superat, unâ illâ obsidione perierunt. Cæteri captâ urbe atque succensâ, in captivitatem abducti, pro mancipiis divenditi, & quaquaversum dispersi sunt. Ità impletum

(a) 1. Cor 6. ℣. 19. (b) Rom. 5. ℣. 5.
Actor. 2. ℣. 14. & deinceps usque ad cap. 8.
(c) Act. 8. ℣. 5.
(d) Ibid. cap. 10. ℣. 34. cap. 13. ℣. 46.
(e) Vide *Joseph* lib. 7. de excid.

est, quod Prophetæ (*a*) *Daniël*, (*b*) *Oseēque* prædixerant; postquam scilicet negato damnatoque Messiâ desierunt esse populus Dei, tot jam sæculis in sua cæcitate & perfidia persistentes, toto orbe vagantur, sine Rege & Principe, sine Templo & Sacrificio, circumferentes Libros Sacros, ex quibus revincuntur ipsi, & Christiana fides adstruitur.

Q. 3. *Quo successu* GENTIBUS *Apostoli prædicarunt?*

℞. Deo aspirante tanto hìc profectu, tantâque velocitate progressi sunt, ut exiguo temporis spatio (*c*) per plerasque orbis provincias, Apostolorum vox audita, doctrinaque recepta sit. Desertis idolis vanisque superstitionibus suis, Christianam fidem certatim amplectebantur, & divino Spiritu interiùs exteriusque mutati, quod ipsi didicerant, mox aliis annuntiabant.

Q. 4. *Quam in hocce opere partem habuit* PAULUS?

℞. Sanè maximam: hic etenim (*d*) ex persecutore nascentis Ecclesiæ, mirabili planè & inusitatâ Dei vocatione Christianæ Fidei præço & singulariter GENTIUM DOCTOR effectus est, quo in munere (*e*) plus omnibus laboravit, plurimasque provincias, incredibili ubique successu fidei, peragravit.

Q. 5. *Hæc autem mundi tam repentina conversio, nullamque contradictionem passa est?*

℞. Imò verò tota inferorum potestas propagationi Evangelii totis viribus obstitit. Regum Principumque auctoritas, Sacrificorum superstitio, Sophistarumque subtilitas instigante diabolo con-

(*a*) Cap. 9. ℣. 26. & 27. (*b*) Cap. 3. ℣. 4.
(*c*) Rom. 10. ℣. 18. (*d*) Act. 9.
(*e*) 1. Cor. 15. ℣. 10. & 2. Cor. 11. ℣. 23. & seqq.

ſpiraverunt, ut hanc novam Religionem delerent funditùs, & in ſuis quodammodo incunabulis ſuffocarent. Sæviſſima proinde contra Chriſtianos Edicta, perſecutioneſque ſuſcitatæ, & ubi blanditiæ non procederent, exquiſita tormenta abhibita contra avitæ idololatriæ deſertores. Qui hæc omnia conſtanter pertulerunt, Chriſti Martyres, id eſt *Teſtes*, dicti ſunt.

Q. 6. *Fuitne magna Martyrum multitudo?*

℞. Fuit profectò maxima: quippe trecentis ferè annis vix aliud fuit quàm perpetua contra Chriſtianos, perſecutio, partim ab Imperatoribus, (*a*) *Nerone*, præſertim (*b*) *Domitiano*, (*c*) *Decio*, (*d*) *Valeriano*, & (*e*) *Diocletiano* excitata, aut violentis Edictis acriùs renovata: partim à Magiſtratibus, vel furente plebe continuata, donec per Constantinum Eccleſiæ pax (*f*) eſt reddita. Cæterùm quò Tyranni ampliùs ſæviebant, eò plures indies Chriſtianos ſe profitebantur, adeò ut (*g*) ſanguis Martyrum verè eſſet ſemen Chriſtianorum.

(*a*) Ab an. Æræ vulg. 64. uſque ad 68.
(*b*) Ab an. 94. uſque ad 96. (*c*) Ab an. 249. uſque ad 251.
(*d*) An. 257. duravit 3. annis cum dimidio.
(*e*) An. 303. violentò edicto perſecutionem indixerunt *Diocletianus* & *Maximianus* Imperatores Collegæ. Hæc ſub *Diocletiani* nomine continuata fuit per Imperatorem *Galerium* uſque ad an. 311. Deinde per *Maximinum* uſque an. 313. Denique per *Licinium*, ab an. 319. uſque ad 324. His 5. perſecutionibus, quæ per expreſſa Imperatorum Edicta ſuſcitatæ ſunt, adjungi ſolent totidem aliæ, ſed minus vehementes, minuſve univerſales; nempe ſub *Trajano* præcipuè circa an. 107. ſub *Marco Aurelio Antonino* versùs an. 163. ſub *Severo* circa annum 202. ſub *Maximino*, maximè contrà Sacerdotes ab an. 235. uſque ad 238. Denique ſub *Auriliano* circa an. 274.
(*f*) Primum quidem devicto *Maxentio* an. 312. poſteà pleniùs extincto *Licinio* an. 324.
(*g*) Tertul. Apol. Cap. 5. Vide etiam Apologias S. Juſtini, Minucii Felicis, &c.

Q. 7. *Fuitne* conversio gentium *per Prophetas veteris Testamenti dudum ante prædicta?*

℟. Fuit, idque admodum frequenter. Textus passim sunt obvii, præsertim apud (*a*) *Davidem*, *Isaiam* & *Jeremiam* Prophetas, de novo fœdere Legeque novâ cordibus inscribendâ, de gentibus omnibus Dei veri notitiam habituris, eumque sincero cultu adoraturis, de rejiciendis denique ob suam perfidiam Judæis, suæque cæcitati usque ad destinatum tempus relinquendis.

Q. 8 *Unde primis illis Christianæ Fidei præconibus tanta in convertendis gentilibus sermonis vis & efficacia?*

℟. Non ab humana eloquentia, quam ferè negligebant; sed ab omnipotentia Jesu Christi, cujus Spiritus (ut ille (*b*) futurum prædixerat) in eis loquebatur, & per eos stupenda prodigia & miracula faciebat. Tanta ergo illis inerat è cælo data sapientia, tanta fortitudo ac tolerantia, ut etiamsi essent omni humana ope destituti, omnes tamen inferorum mundique potestates, quantumvis reluctantes, superarint.

Q. 9. *Nonne ex iis quæ hucusque dicta sunt consequens est certissimam esse veritatem Religionis Christianæ?*

℟. Id planè consequens est. Nam quisquis ratione utitur, liquidò perspicit nullâ ratione fieri potuisse, ut sine veritatis æternæ omnipotenti operatione, pauculi homines omnibus humanis præsidiis destituti, inter vehementissimas omnium mundi potestatum persecutiones, Religionem novam, inveteratæ superstitioni cunctisque hominum cupiditatibus adversantem, tantillo tempore, toto orbe diffuderint ac propagarint. Om-

(*a*) Psalm 21. ℣. 28. Isai. 2. ℣. 2. Jerem. 31. ℣. 31. &c.
(*b*) Luc. 21. ℣. 15. Matth. 10. ℣. 20.

nipotenti itaq;

hipotenti itaque Dei virtute ſuprà petram fundata eſt *Chriſti Eccleſia*, de qua jam dicendum.

CAPUT XXVII.

De Eccleſia, ejuſque Unitate, & Communione Sanctorum.

Nonus Articulus Symboli Apoſtolorum eſt: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

Q. 1. *Quid hic* Eccleſiæ *nomine ſignificatur?*

℟. Cœtus eorum omnium, qui Deum verum veraciter agnoſcunt & colunt.

Credimus itaque unam aliquam in orbe terrarum congregationem hominum exiſtere, in qua veri Dei ſincera cognitio, ſincerusque cultus vigeat: quod prorsùs exigit ſuprema Dei providentia, ne alioquin res humanas neglexiſſe videatur. Credimus prætereà eam congregationem *Sanctam* eſſe atque *Catholicam*, id eſt univerſalem, per omnia tempora locaque diffuſam.

Q. 2. *Quis autem eſt ille cœtus, in quo ſincera Dei cognitio, ſincerusque ejus cultus vigent?*

℟. Non alius planè quàm eorum, qui Chriſti fidem religionemque profitentur Nam ſicut ſectæ omnes à Chriſti fide abhorrentes, innumera falſitatis, vanæque ſuperſtitionis indicia præ ſe ferunt, ita econtrariò jam ſuprà viſum eſt, cuivis ſedulò animadvertenti debere eſſe evidentiſſimum, Religionem Chriſtianam ſine omnipotenti ſupremi Numinis operatione eo modo quo propagata & ſtabilita eſt, propagari & ſtabiliri nullo modo potuiſſe.

Q. 3. *Eſtne vera Chriſti Eccleſia viſibilis?*

℟. Nemo ante noſtri temporis ſectarios id un-

quam in dubium revocavit. Et certè tùm in Scripturis Sacris, tum in Conciliis, Sanctisque Patribus ubique obvium est, Ecclesiam (constantem utique ex hominibus, non spiritibus invisibilibus) cœtum esse tam conspicuum, ut comparetur (a) *civitati supra montem positæ*, ad quam certatim confluxuræ sint omnes gentes, ut in ejus societatem admittantur.

Q. 4. *Cùm multæ sint in orbe terrarum societates hominum, quæ Christiano nomine gloriantur, longissimè interim ab invicem discrepantes, omnesne illæ vera Christi Ecclesia sunt?*

℟. Sicut unus tantùm Christus est, ità (b) una tantùm est fides, unaque Ecclesia; eorum nempe societas, qui sub uno in terris Christi Vicario Petri in Romana sede Successore, rectam de Christo invisibili capite fidem profitentur, eorumdem sacramentorum participatione adunati. Qui ab hac unitate segregati, peculiarem sibi cœtum constituunt, tametsi Christi nomen inclament, à Christo tamen prorsùs alieni sunt.

Q. 5. *Cur Ecclesiam* Romano-Catholicam *veram Christi Ecclesiam esse dicis, potiùs quàm aliquam ex cæteris sectis, quæ se Christianas esse profitentur?*

℟. Quia in illam solam apertè congruunt Notæ omnes, quas antiquissimum fidei Symbolum in (c) *Constantinopolitana* Synodo editum, veræ Ecclesiæ tribuit; *unam* esse, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apostolicam*.

Q. 6. *Quomodo præ cæteris Ecclesia Romano Catholica* UNA *est?*

℟. 1. *Una* est non tantùm unitaté capitis invisibilis Christi Jesu, sed etiam unitate capitis vi-

(a) Isai. 1. ℣. 2. Matth. 5. ℣. 14. (b) Ephes. 4. ℣. 5.
(c) Quod in Missa recitatur.

ſibilis, Chriſti in terris Vicarii, Romanæ Sedis Epiſcopi, in quo ceu centro quodam unitatis fideles omnes *in terris poſiti* adunantur.

2. *Una* eſt unitate fidei ac doctrinæ, quidquid enim ad fidem pertinens, in una Eccleſiæ parte creditur, id quoque in aliis omnibus firmitate tenetur. Quod ſi quæ in his rebus controverſia exorta fuerit, judicem habent fideles cui parere certum eſt omnibus, alioquin non ampliùs inter Eccleſiæ membra recenſendis.

Hæc duplex unitas in ulla alia ſocietate reperitur, atque ideò nihil ibi frequentius, quàm tot ferè eſſe Religiones, quot ſunt caputa.

Q. 7. *Quinam ſunt membra Eccleſiæ?*

℟. Majoris diſtinctionis gratiâ obſervandum eſt, tres eſſe præcipuas portiones corporis illius myſtici, cujus Jeſus Chriſtus (*a*) caput eſt: aliam glorioſam in cœlis, aliam divinæ Juſtitiæ ſatisfacientem in Purgatorio, tertiam denique certantem adhuc in terris. Prior dicitur Eccleſia *triumphans*, ſecunda *patiens*, tertia *militans*.

Itaque *Eccleſiæ militantis* membra ſunt ſoli illi, qui per Sacramentum Baptiſmatis Eccleſiam ingreſſi, ab illa neque ob contumaciam ejecti, neque ſuâ ſponte ſegregati ſunt; ſed in ejuſdem fidei, eorumdemque Sacramentorum profeſſione, ſub eodem viſibili capite perſeverant.

Proinde extra Eccleſiam ſunt, 1. Judæi, Turcæ, Ethnici, omneſque non Baptizati. 2. Hæretici (ſaltem *manifeſti*, nam de *occultis* diſputatur) & Apoſtatæ. 3. Schiſmatici. 4. Excommunicati; iſti, quia ſe ſegregarunt: hi, quia ob ſuam in crimine pertinaciam, velut inutilia membra reſecti ſunt.

(*a*) Epheſ. 1. ℣. 22. Coloſſ. 1. ℣. 18.

Q 8. *Estne singularis aliqua inter Ecclesiæ membra unio mutuaque bonorum participatio?*

℟. Est planè, eamque profitemur his verbis Symboli Apostolorum : COMMUNIONEM SANCTORUM. Credimus scilicet, quod sicuti in humano corpore (*a*) omnia membra decentissimo ordine inter se connexa sunt, & eodem spiritu vegetantur, mutuisque bonis gaudent, ita *omnia membra* mystici corporis Jesu Christi, Eâdem fide iisdemque Sacramentis connexa, eodem Christi spiritu foveantur ac animentur, bonaque spiritualia unius membri, sanctâ quâdam participatione cæteris omnibus reddantur communia.

Q. 9. *Quinam Communionis Sanctorum participes sunt?*

℟. *Viva Christi membra*, id est justi ac sancti plenè ac perfectè illius participes sunt, *membra* autem *mortua*, id est, qui fidem quidem habent, sed charitate destitutam, pravisque operibus mortuam, dumtaxat imperfectè. Prodest interim *illis* plurimùm communis Ecclesiæ gemitus, ut per fidem ad Dei misericordiam recurrentes, aliquando seriò convertantur & vivant. Cæterùm quicumque ab Ecclesia segregati sunt, ab hac Communione penitùs sunt exclusi.

Q. 10. *At numquid hæc Sanctorum communio etiam inter Ecclesiam Triumphantem, Patientem, & militantem intercedit?*

℟. Omninò, ita quidem ut *Triumphantis* meritis ac precibus *Militans* adjuvetur : *Militantis* autem suffragia ac sacrificia prosint plurimùm *Patienti*.

(*a*) 1. Cor. 12. ℣. 12. & seqq.

CAPUT XXVIII.

De reliquis Ecclesiæ Notis : Sancta Catholica & Apostolica.

Quæstio 1. *Quomodo vera Christi Ecclesia* Sancta *est ?*

℞. Quia per Baptiſmum Deo conſecrata & dedicata eſt in membris ſuis omnibus, quorum & præcipua re ipsâ ſancta ſunt, & ad æternam ſanctitatem deſtinata : ac deinde nemo verè ſanctus qui ſit extra Eccleſiam. 2. Quia cum Chriſto totiùs ſanctitatis fonte, ceu corpus cum capite arctiſſimo nexu conjuncta, ab illo jugiter (*a*) ſanctificationis influxum recipit 3. Sancta eſt legitimo ſacrificii & Sacramentorum uſu, totâque Fidei doctrinâ, quæ nihil quàm ſanctimoniam perpetuò inſpirat. 4 Denique *Sanctitatem miraculorum* ſola poſſidet : ita quidem ut extra hanc unam Eccleſiam numquam, in ea verò frequenter admodum inſolita Divinæ virtutis ſigna atque prodigia contigerint, & ubi opus eſt etiamnum contingant.

Q. 2. *Qui poteſt Eccleſia* ſancta *eſſe, cùm tam multi, qui ſe Chriſtianos atque Catholicos profitentur, palam perverſi atque impii ſint ?*

℞. Quandiu Eccleſia peregrinatur in terris, *paleam* (*b*) habet permixtam *tritico* in fine demùm ſæculi penitùs ſegregandam. At interim illorum perverſitas neque ſanctitati vivorum Eccleſiæ membrorum officit, neque fidem doctrinamve Eccleſiæ contaminat, hæc etenim non ideò deſinit pura & ſancta eſſe, quòd plurimorum impietate violetur.

(*a*) Joann. 1. ℣. 16. & cap. 15. ℣. 1. & 4. (*b*) Matth. 3. ℣. 12.

Q. 3. *Ac unde constat Doctrinam Ecclesiæ perpetuò puram sanctamque esse, neque aliquando ad errores noxios declinare?*

℞. Id quidem per singula dogmata demonstrari posset. Sed quia hæc via longior est, expeditius erit attentâ mente perpendere, Christum, qui suprema veritas est, idemque cum Patre & Spiritu Sancto Omnipotens Deus, promisisse Ecclesiæ dilectissimæ Sponsæ suæ, (*a*) eam fundatam fore supra immobilem petram, ita ut portæ inferi, id est omnes inferorum potestates, nullo unquam tempore contrà eam prævalituræ sint: (*b*) Spiritum veritatis cum illa permansurum in æternum se quoque Apostolis, eorumque in pari ministerio Successoribus, docentibus ac Sacramenta ministrantibus, invisibili suâ protectione adfuturum (*c*) *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Cum ergo Omnipotens sit simul & fallere nescius qui promisit impium est existimare Ecclesiam, quam ille (*d*) *suo sanguine acquisivit*, in errores noxios lapsam esse unquam aut labi posse.

Q. 4. *Soline Ecclesiæ Romano-Catholicæ proprium est, ut modis jam explicatis* Sancta *sit?*

℞. Prorsùs illi soli id congruit: nam cæteræ sectæ præter corruptelam morum etsi subjacent, talia insuper doctrinæ suæ principia statuunt, ex quibus illa morum perversitas auctoritatem obtineat & consequatur: statuuntque universæ Ecclesiæ doctrinam noxiis erroribus non tantùm infici posse, sed re ipsâ aliquando infectam fuisse. Proinde nec morum, nec doctrinæ sanctitas, apud ullos sectarios reperitur.

(*a*) Matth. 16. ℣. 18. (*b*) Joann. 14. ℣. 16.
(*c*) Matth. 28. ℣. 20. (*d*) Act. 20. ℣. 28.

Q. 5. *Quo sensu Ecclesia* Catholica *est?*

℟. *Catholica* est, id est universalis, 1. Quia omnes omnium temporum locorumque fideles complectitur, ita ut ad eam pertineant, quicumque ab orbe condito usque in hanc diem, Deum verum veraciter coluerunt. 2. Quia doctrina Ecclesiæ per omnes orbis terræ partes prædicata est. Habet deindè illa fideles ubique dispersos, qui ejusdem fidei vinculo eorumdemque participatione Sacramentorum, sub eodem visibili capite omnes inter se connexi sunt.

Cæteræ societates omnes à Romano-Catholica segregatæ, (*a*) singulæ suis locis temporibusque concluduntur, nulla igitur *Catholica* est aut universalis.

Q. 6. *Quo sensu Ecclesia* Apostolica *dicitur?*

℟. Quod ab Apostolis propagata, eorum doctrinam firmissimè teneat, & manifestâ successionis serie originem suam ad illos usque referat. Sic à Clemente XI. qui Romanam Sedem hodie tenet, non interrupto successionis ordine, usque ad Beatum *Petrum*, primum illius Sedis Episcopum, pervenitur.

At sectæ omnes novitatem suam suo plerumque nomine præferunt, dum *Lutherani*, *Calvinistæ*, *Sociniani* à suis auctoribus nuncupantur. Designari iis potest annus, mensis ac dies quibus primum exortæ, & ab Ecclesia Catholica segregatæ sunt.

Itaque concludendum est, nullam esse in orbe societatem hominum, cui competat *unam* esse, *Sanctam*, *Catholicam* & *Apostolicam*, nisi Ecclesiam Romano-Catholicam, hancque adeo solam esse veram Christi Sponsam, quam sibi suo sanguine acquisivit.

(*a*) Vide Tertull. lib. de præscript. Hæret. cap. 20. 22. 36. & 37.

Q. 7. *Estne extra hanc Ecclesiam spes salutis?*

℟. Quicumque sunt extra Ecclesiam sunt à vera fide alieni, vel saltem à charitate semoti: at verò (*a*) *sine Fide impossibile est placere Deo*, nec minus impossibile sine charitate (*b*) perveni- re ad Regnum cœlorum: sicuti ergo certo exitio erant obnoxii, qui durante diluvio extra Noëmi Arcam versabantur, ità nemini salutis æternæ spes est nisi in fide & unitate Ecclesiæ perseveret.

Q. 8. *Quæ nobis inde formanda conclusio?*

℟. Ut nempe in perpetua gratiarum actione occupemur, quòd beneficio prorsùs indebito ad unitatem Ecclesiæ suæ nos Christus perduxerit. Quem gratitudinis sensum eo oportet esse majorem, quod tristi experientiâ notum sit, eos qui in sectis atque erroribus nati & enutriti sunt, non nisi ægrè admodum ad Fidem Catholicam seriò amplectendam adduci. Neverò nos ex ingratitudine, graviorem nobis damnationem accersamus, fides nostra veræ pietatis operibus comprobetur, ut vel (*c*) *ex bona conversatione* nostra ad fidem & unitatem Ecclesiæ infideles & hæretici adducantur, quorum tenebris & cæcitati frequenter ingemiscere debent, quicumque verè sunt Christiani.

CAPUT XXIX.

De 10. *Symboli Articulo, id est Remissione Peccatorum & justificatione.*

REMISSIONEM PECCATORUM.

QUæstio 1. *Quid hoc articulo profitemur?*

℟. Esse Ecclesiæ eam à Christo relictam

(*a*) Heb. 11. ℣. 6. (*b*) Vide 1. Cor. 13. (*c*) 1. Pet. 5. ℣. 12.

potestatem, qua Fidelibus verè pœnitentibus peccata dimittantur, quæ quidem potestas tunc data fuit, quando Salvator à morte redivivus (*a*) Apostolis insufflavit dicens : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Q. 2. *Extenditne se hæc potestas ad quævis peccata quantùmvis enormia aut multiplicia.*

℟. Nullum peccati genus exceptum est, nullus delictorum numerus exclusus : ideòque hanc suam potestatem planè generalem esse semper intellexit Ecclesia, adstruxitque contra (*b*) Novatianos hæreticos.

Q. 3 *Quibus commissum est hujus potestatis exercitium ?*

℟. Primitùs commissum fuit Apostolis, sed transmittendum eorum quoque in Sacerdotio successoribus, id est Episcopis atque Presbyteris. Fideles cæteri hâc tam excellenti Ecclesiæ prærogativâ fruuntur; verum destituti (*c*) *clavibus regni cœlorum* ligare non possunt aut solvere.

Q. 4. *Quomodo hæc potestas à Sacerdotibus exercetur ?*

℟. Non aliter quàm per Sacramenta, à Christo idcircò instituta, ut iis pretium sanguinis sui, credentibus applicetur.

Baptismo quidem omnis culpa, totiusque pœnæ reatus eluitur ; at quia etiamnum infirmitate circumdati sumus, pravâque in nobis manente concupiscentiâ, non tantùm ad peccandum allicimur, sed plerique aliquando pertrahimur, hinc ineffabilis Dei Salvatoris nostri clementia, (*d*)

(*a*) Joan. 20. ℣. 22.
(*b*) Vide *Cyprian.* in Epistolis ad S. Cornelium Papam. Et lib. de unic. Ecclesiæ. *Euseb.* Hist. Eccl. lib. 6. cap. 43.
(*c*) Matth. 16. ℣. 19. & cap. 18. ℣. 18.
(*d*) S. Hieron. in cap. 3. Isaiæ &c.

secundam poſt naufragium Tabulam providit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, quo illorum quoque peccatorum veniam obtineremus, quæ poſt Baptiſmum admitterentur, ſi modò corde contritio & humiliato eam requiremus.

Q. 5. *Quodnam diſcrimen eſt Chriſtum inter & Sacerdotes peccata remittentes?*

℟. Chriſtus utpote verus Deus, (*a*) non alienâ ſed propriâ virtute & auctoritate peccata dimittit: Sacerdotes autem tamquam Chriſti miniſtri & inſtrumenta quædam animata, non aliter quàm illius nomine & auctoritate remittunt. Veram interim peccata condonandi poteſtatem habent, quæ nec ulli umquam angelorum obtigit, neque ulli hominum ante Chriſti in carne adventum.

Collige, quantus honor ac reverentia Sacerdotali Ordini debeatur, quantaque in illis eſſe debeat vitæ ſanctimonia, ut tanti muneris prærogativâ non ſint omninò indigni.

Q. 6. *Potuitne umquam aliter, quàm ex Chriſti meritis peccatorum remiſſio obtineri?*

℟. Nemo à mundi exordio peccatorum vaniam conſecutus eſt, aut conſequetur umquam, niſi ex meritis (*b*) *Agni* illius, cujus ab æterno præviſa ac decreta eſt mors, quâ genus humanum reconciliaretur Deo, & tollerentur peccata mundi. Nulla igitur (*c*) ſine aſperſione ſanguinis Chriſti, meritiſque mortis ejus, fit peccatorum remiſſio.

Q. 7. *Quid eſt* Juſtificatio *& quid ad eam præter peccatorum remiſſionem requiritur?*

℟. *Juſtificationis* nomine hìc intelligitur, cle-

(*a*) Matth. 9. ℣. 1. 5. & 9.
(*b*) Joan. 1. ℣. 29. & 36. Apocalypſ. c. 13. ℣. 9.
(*c*) Vide Heb. 9. ℣. 14. & 22.

mentissima illa Dei operatio, (*a*) quâ gratuitò per Jesum Christum peccata nostra remittit ac delet, novasque nos creaturas efficit, charitatem cum cæteris Spiritus Sancti donis, diffundens in cordibus nostris.

Sunt itaque *peccatorum remissio* & *justificatio* semper conjunctæ, sed hæc ultra peccatorum remissionem præterea requirit (*b*) interioris hominis renovationem, quâ verè coram Deo justus, illique gratus efficitur, qui ante injustus erat & inimicus.

Q. 8. *Quibus ad justificationem gradibus perveniri solet?*

℟. Parvulis rationis usu adhuc destitutis Sacramento Baptismatis Christi justitia & merita communicantur.

At adulti 1. excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, *credentes* vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & 2. dum peccatores se esse intelligentes, divinæ justitiæ *timore* quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt, 3 in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, 4. illumque tamquam omnis justitiæ fontem *diligere* incipiunt, 5. ac propterea moventur adversus peccata per *odium aliquod & detestationem*, 6. deinde proponunt suscipere *Sacramentum*, 7. inchoare *novam vitam* & servare divina mandata.

Hi sunt gradus, quibus, ut indicat Con. Trid.

(*a*) Concil. Trid. Sess. 6. c. 8. & 9. Tit. 3. ℣. 5. 6. & 7.
(*b*) 1. Cor. 6. ℣. 11. Rom. 5. ℣. 5. & 10.

Q. 7. *Fuitne* conversio gentium *per Prophetas veteris Testamenti dudum ante prædicta?*

℞. Fuit, idque admodum frequenter. Textus passim sunt obvii, præsertim apud (*a*) *Davidem*, *Isaiam* & *Jeremiam* Prophetas, de novo fœdere Legeque novâ cordibus inscribendâ, de gentibus omnibus Dei veri notitiam habituris, eumque sincero cultu adoraturis, de rejiciendis denique ob suam perfidiam Judæis, suæque cæcitati usque ad destinatum tempus relinquendis.

Q. 8 *Unde primis illis Christianæ Fidei præconibus tanta in convertendis gentilibus sermonis vis & efficacia?*

℞. Non ab humana eloquentia, quam ferè negligebant; sed ab omnipotentia Jesu Christi, cujus Spiritus (ut ille (*b*) futurum prædixerat) in eis loquebatur, & per eos stupenda prodigia & miracula faciebat. Tanta ergo illis inerat è cælo data sapientia, tanta fortitudo ac tolerantia, ut etiamsi essent omni humana ope destituti, omnes tamen inferorum mundique potestates, quantumvis reluctantes, superarint.

Q. 9. *Nonne ex iis quæ hucusque dicta sunt consequens est certissimam esse veritatem Religionis Christianæ?*

℞. Id planè consequens est. Nam quisquis ratione utitur, liquidò perspicit nullâ ratione fieri potuisse, ut sine veritatis æternæ omnipotenti operatione, pauculi homines omnibus humanis præsidiis destituti, inter vehementissimas omnium mundi potestatum persecutiones, Religionem novam, inveteratæ superstitioni cunctisque hominum cupiditatibus adversantem, tantillo tempore, toto orbe diffuderint ac propagarint. Om-

(*a*) Psalm 21. ℣. 38. Isai. 2. ℣. 2. Jerem. 31. ℣. 31. &c.
(*b*) Luc. 21. ℣. 15. Matth. 10. ℣. 20.

nipotenti ita-

hipotenti itaque Dei virtute suprà petram fundata est *Christi Ecclesia*, de qua jam dicendum.

CAPUT XXVII.

De Ecclesia, ejusque Unitate, & Communione Sanctorum.

Nonus Articulus Symboli Apostolorum est: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

Q. 1. *Quid hic* Ecclesiæ *nomine significatur?*

℟. Cœtus eorum omnium, qui Deum verum veraciter agnoscunt & colunt.

Credimus itaque unam aliquam in orbe terrarum congregationem hominum existere, in qua veri Dei sincera cognitio, sincerusque cultus vigeat: quod prorsùs exigit suprema Dei providentia, ne alioquin res humanas neglexisse videatur. Credimus prætereà eam congregationem *Sanctam* esse atque *Catholicam*, id est universalem, per omnia tempora locaque diffusam.

Q. 2. *Quis autem est ille cœtus, in quo sincera Dei cognitio, sincerusque ejus cultus vigent?*

℟. Non alius planè quàm eorum, qui Christi fidem religionemque profitentur Nam sicut sectæ omnes à Christi fide abhorrentes, innumera falsitatis, vanæque superstitionis indicia præ se ferunt, ita econtrariò jam suprà visum est, cuivis sedulò animadvertenti debere esse evidentissimum, Religionem Christianam sine omnipotenti supremi Numinis operatione eo modo quo propagata & stabilita est, propagari & stabiliri nullo modo potuisse.

Q. 3. *Estne vera Christi Ecclesia visibilis?*

℟. Nemo ante nostri temporis sectarios id un-

quam in dubium revocavit. Et certè tùm in Scripturis Sacris, tum in Conciliis, Sanctisque Patribus ubique obvium est, Ecclesiam (constantem utique ex hominibus, non spiritibus invisibilibus) cœtum esse tam conspicuum, ut comparetur (*a*) *civitati supra montem positæ*, ad quam certatim confluxuræ sint omnes gentes, ut in ejus societatem admittantur.

Q. 4. *Cùm multæ sint in orbe terrarum societates hominum, quæ Christiano nomine gloriantur, longissimè interim ab invicem discrepantes, omnesne illæ vera Christi Ecclesia sunt?*

℟. Sicut unus tantùm Christus est, ità (*b*) una tantùm est fides, unaque Ecclesia; eorum nempe societas, qui sub uno in terris Christi Vicario Petri in Romana sede Successore, rectam de Christo invisibili capite fidem profitentur, eorumdem sacramentorum participatione adunati. Qui ab hac unitate segregati, peculiarem sibi cœtum constituunt, tametsi Christi nomen inclament, à Christo tamen prorsùs alieni sunt.

Q 5. *Cur Ecclesiam* ROMANO-CATHOLICAM *veram Christi Ecclesiam esse dicis, potiùs quàm aliquam ex cæteris sectis, quæ se Christianas esse profitentur?*

℟. Quia in illam solam apertè congruunt Notæ omnes, quas antiquissimum fidei Symbolum in (*c*) *Constantinopolitana* Synodo editum, veræ Ecclesiæ tribuit; *unam* esse, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apostolicam*.

Q. 6. *Quomodo præ cæteris Ecclesia Romano Catholica* UNA *est?*

℟. 1. *Una* est non tantùm unitatè capitis invisibilis Christi Jesu, sed etiam unitate capitis vi-

(*a*) Isai. 1. ℣. 2. Matth. 5. ℣. 14. (*b*) Ephes. 4. ℣. 5.
(*c*) Quod in Missa recitatur.

sibilis, Christi in terris Vicarii, Romanæ Sedis Episcopi, in quo ceu centro quodam unitatis fideles omnes *in terris positi* adunantur.

2. *Una* est unitate fidei ac doctrinæ, quidquid enim ad fidem pertinens, in una Ecclesiæ parte creditur, id quoque in aliis omnibus firmitate tenetur. Quod si quæ in his rebus controversia exorta fuerit, judicem habent fideles cui parere certum est omnibus, alioquin non ampliùs inter Ecclesiæ membra recensendis.

Hæc duplex unitas in ulla alia societate reperitur, atque ideò nihil ibi frequentius, quàm tot ferè esse Religiones, quot sunt caputa.

Q. 7. *Quinam sunt membra Ecclesiæ?*

℟. Majoris distinctionis gratiâ observandum est, tres esse præcipuas portiones corporis illius mystici, cujus Jesus Christus (*a*) caput est: aliam gloriosam in cœlis, aliam divinæ Justitiæ satisfacientem in Purgatorio, tertiam denique certantem adhuc in terris. Prior dicitur Ecclesia *triumphans*, secunda *patiens*, tertia *militans*.

Itaque *Ecclesiæ militantis* membra sunt soli illi, qui per Sacramentum Baptismatis Ecclesiam ingressi, ab illa neque ob contumaciam ejecti, neque suâ sponte segregati sunt; sed in ejusdem fidei, eorumdemque Sacramentorum professione, sub eodem visibili capite perseverant.

Proinde extra Ecclesiam sunt, 1. Judæi, Turcæ, Ethnici, omnesque non Baptizati. 2. Hæretici (saltem *manifesti*, nam de *occultis* disputatur) & Apostatæ. 3. Schismatici. 4. Excommunicati; isti, quia se segregarunt: hi, quia ob suam in crimine pertinaciam, velut inutilia membra resecti sunt.

(*a*) Ephes. 1. ℣. 22. Coloss. 1. ℣. 18.

Q 8. *Estne singularis aliqua inter Ecclesiæ membra unio mutuaque bonorum participatio?*

℟. Est planè, eamque profitemur his verbis Symboli Apostolorum: COMMUNIONEM SANCTORUM. Credimus scilicet, quod sicuti in humano corpore (*a*) omnia membra decentissimo ordine inter se connexa sunt, & eodem spiritu vegetantur, mutuisque bonis gaudent, ita *omnia membra* mystici corporis Jesu Christi, Eâdem fide iisdemque Sacramentis connexa, eodem Christi spiritu foveantur ac animentur, bonaque spiritualia unius memb i, sanctâ quâdam participatione cæteris omnibus reddantur communia.

Q. 9. *Quinam Communionis Sanctorum participes sunt?*

℟. *Viva Christi membra*, id est justi ac sancti plenè ac perfectè illius participes sunt, *membra* autem *mortua*, id est, qui fidem quidem habent, sed charitate destitutam, pravisque operibus mortuam, dumtaxat imperfectè. Prodest interim illis plurimùm communis Ecclesiæ gemitus, ut per fidem ad Dei misericordiam recurrentes, aliquando seriò convertantur & vivant. Cæterùm quicumque ab Ecclesia segregati sunt, ab hac Communione penitùs sunt exclusi.

Q. 10. *At numquid hæc Sanctorum communio etiam inter Ecclesiam Triumphantem, Patientem, & militantem intercedit?*

℟. Omninò, ita quidem ut *Triumphantis* meritis ac precibus *Militans* adjuvetur: *Militantis* autem suffragia ac sacrificia prosint plurimùm *Patienti*.

(*a*) 1. Cor. 12. ℣. 12. & seqq.

CAPUT XXVIII.

De reliquis Ecclesiæ Notis : SANCTA CATHOLICA & APOSTOLICA.

QUæstio 1. *Quomodo vera Christi Ecclesia* SANCTA *est ?*

℟. Quia per Baptismum Deo consecrata & dedicata est in membris suis omnibus, quorum & præcipua re ipsâ sancta sunt, & ad æternam sanctitatem destinata : ac deinde nemo verè sanctus qui sit extra Ecclesiam. 2. Quia cum Christo totiùs sanctitatis fonte, ceu corpus cum capite arctissimo nexu conjuncta, ab illo jugiter (*a*) sanctificationis influxum recipit 3. Sancta est legitimo sacrificii & Sacramentorum usu, totâque Fidei doctrinâ, quæ nihil quàm sanctimoniam perpetuò inspirat. 4 Denique *Sanctitatem miraculorum* sola possidet : ita quidem ut extra hanc unam Ecclesiam numquam, in ea verò frequenter admodum insolita Divinæ virtutis signa atque prodigia contigerint, & ubi opus est etiamnum contingant.

Q. 2. *Qui potest Ecclesia* sancta *esse, cùm tam multi, qui se Christianos atque Catholicos profitentur, palam perversi atque impii sint ?*

℟. Quandiu Ecclesia peregrinatur in terris, *paleam* (*b*) habet permixtam *tritico* in fine demùm sæculi penitùs segregandam. At interim illorum perversitas neque sanctitati vivorum Ecclesiæ membrorum officit, neque fidem doctrinamve Ecclesiæ contaminat, hæc etenim non ideò desinit pura & sancta esse, quòd plurimorum impietate violetur.

(*a*) Joann. 1. ℣. 16. & cap. 15. ℣. 1. & 4. (*b*) Matth. 3. ℣. 12.

Q. 3. *Ac unde constat Doctrinam Ecclesiæ perpetuò puram sanctamque esse, neque aliquando ad errores noxios declinare?*

℟. Id quidem per singula dogmata demonstrari posset. Sed quia hæc via longior est, expeditius erit attentâ mente perpendere, Christum, qui suprema veritas est, idemque cum Patre & Spiritu Sancto Omnipotens Deus, promisisse Ecclesiæ dilectissimæ Sponsæ suæ, (*a*) eam fundatam fore supra immobilem petram, ita ut portæ inferi, id est omnes inferorum potestates, nullo unquam tempore contrà eam prævalituræ sint: (*b*) Spiritum veritatis cum illa permansurum in æternum se quoque Apostolis, eorumque in pari ministerio Successoribus, docentibus ac Sacramenta ministrantibus, invisibili suâ protectione adfuturum (*c*) *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Cum ergo Omnipotens sit simul & fallere nescius qui promisit impium est existimare Ecclesiam, quam ille (*d*) *suo sanguine acquisivit*, in errores noxios lapsam esse unquam aut labi posse.

Q. 4. *Soline Ecclesiæ Romano-Catholicæ proprium est, ut modis jam explicatis* Sancta *sit?*

℟. Prorsùs illi soli id congruit: nam cæteræ sectæ præter corruptelam morum etsi subjacent, talia insuper doctrinæ suæ principia statuunt, ex quibus illa morum perversitas auctoritatem obtineat & consequatur: statuuntque universæ Ecclesiæ doctrinam noxiis erroribus non tantùm infici posse, sed re ipsâ aliquando infectam fuisse. Proinde nec morum, nec doctrinæ sanctitas, apud ullos sectarios reperitur.

(*a*) Matth. 16. ℣. 18. (*b*) Joann. 14. ℣. 16.
(*c*) Matth. 28. ℣. 20. (*d*) Act. 20. ℣. 28.

Q. 5. *Quo ſenſu Eccleſia* CATHOLICA *eſt* ?

℞. *Catholica* eſt, id eſt univerſalis, 1. Quia omnes omnium temporum locorumque fideles complectitur, ita ut ad eam pertineant, quicumque ab orbe condito uſque in hanc diem, Deum verum veraciter coluerunt. 2. Quia doctrina Eccleſiæ per omnes orbis terræ partes prædicata eſt. Habet deindè illa fideles ubique diſperſos, qui ejuſdem fidei vinculo eorumdemque participatione Sacramentorum, ſub eodem viſibili capite omnes inter ſe connexi ſunt.

Cæteræ ſocietates omnes à Romano-Catholica ſegregatæ, (*a*) ſingulæ ſuis locis temporibuſque concluduntur, nulla igitur *Catholica* eſt aut univerſalis.

Q. 6. *Quo ſenſu Eccleſia* APOSTOLICA *dicitur*?

℞. Quod ab Apoſtolis propagata, eorum doctrinam firmiſſimè teneat, & manifeſtâ ſucceſſionis ſerie originem ſuam ad illos uſque referat. Sic à CLEMENTE XI. qui Romanam Sedem hodie tenet, non interrupto ſucceſſionis ordine, uſque ad Beatum *Petrum*, primum illius Sedis Epiſcopum, pervenitur.

At ſectæ omnes novitatem ſuam ſuo plerumque nomine præferunt, dum *Lutherani*, *Calviniſtæ*, *Sociniani* à ſuis auctoribus nuncupantur. Deſignari iis poteſt annus, menſis ac dies quibus primum exortæ, & ab Eccleſia Catholica ſegregatæ ſunt.

Itaque concludendum eſt, nullam eſſe in orbe ſocietatem hominum, cui competat *unam* eſſe, *Sanctam*, *Catholicam* & *Apoſtolicam*, niſi Eccleſiam Romano-Catholicam, hancque adeo ſolam eſſe veram Chriſti Sponſam, quam ſibi ſuo ſanguine acquiſivit.

(*a*) Vide Tertull. lib. de præſcript. Hæret. cap. 20. 22. 36. & 37.

Q. 7. *Estne extra hanc Ecclesiam spes salutis?*

℟. Quicumq; e sunt extra Ecclesiam sunt à vera fide alieni, vel saltem à charitate semoti: at verò (*a*) *sine Fide impossibile est placere Deo*, nec minus impossibile sine charitate (*b*) pervenire ad Regnum cœlorum: sicuti ergo certo exitio erant obnoxii, qui durante diluvio extra Noëmi Arcam versabantur, ità nemini salutis æternæ spes est nisi in fide & unitate Ecclesiæ perseveret.

Q. 8. *Quæ nobis inde formanda conclusio?*

℟. Ut nempe in perpetua gratiarum actione occupemur, quòd beneficio prorsùs indebito ad unitatem Ecclesiæ suæ nos Christus perduxerit. Quem gratitudinis sensum eo opertet esse majorem, quod tristi experientiâ notum sit, eos qui in sectis atque erroribus nati & enutriti sunt, non nisi ægrè admodum ad Fidem Catholicam seriò amplectendam adduci. Neverò nos ex ingratitudine, graviorem nobis damnationem accersamus, fides nostra veræ pietatis operibus comprobetur, ut vel (*c*) *ex bona conversatione* nostra ad fidem & unitatem Ecclesiæ infideles & hæretici adducantur, quorum tenebris & cæcitati frequenter ingemiscere debent, quicumque verè sunt Christiani.

CAPUT XXIX.

De 10. *Symboli Articulo, id est Remissione Peccatorum & justificatione.*

REMISSIONEM PECCATORUM.

QUæstio 1. *Quid hoc articulo profitemur?*

℟. Esse Ecclesiæ eam à Christo relictam

(*a*) Heb. 11. ℣. 6. (*b*) Vide 1. Cor. 13. (*c*) 1. Pet. 5. ℣. 12.

poteſtatem, qua Fidelibus verè pœnitentibus peccata dimittuntur, quæ quidem poteſtas tunc data fuit, quando Salvator à morte redivivus (*a*) Apoſtolis inſufflavit dicens : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Q. 2. *Extenditne ſe hæc poteſtas ad quævis peccata quantùmvis enormia aut multiplicia.*

℞. Nullum peccati genus exceptum eſt, nullus delictorum numerus excluſus : ideòque hanc ſuam poteſtatem planè generalem eſſe ſemper intellexit Eccleſia, adſtruxitque contra (*b*) NOVATIANOS hæreticos.

Q. 3. *Quibus commiſſum eſt hujus poteſtatis exercitium ?*

℞. Primitùs commiſſum fuit Apoſtolis, ſed tranſmittendum eorum quoque in Sacerdotio ſucceſſoribus, id eſt Epiſcopis atque Presbyteris. Fideles cæteri hâc tam excellenti Eccleſiæ prærogativâ fruuntur ; verum deſtituti (*c*) *clavibus regni cœlorum* ligare non poſſunt aut ſolvere.

Q. 4. *Quomodo hæc poteſtas à Sacerdotibus exercetur ?*

℞. Non aliter quàm per Sacramenta, à Chriſto idcircò inſtituta, ut iis pretium ſanguinis ſui, credentibus applicetur.

Baptiſmo quidem omnis culpa, totiuſque pœnæ reatus eluitur ; at quia etiamnum infirmitate circumdati ſumus, pravâque in nobis manente concupiſcentiâ, non tantùm ad peccandum allicimur, ſed plerique aliquando pertrahimur, hinc ineffabilis Dei Salvatoris noſtri clementia, (*d*)

(*a*) Joan. 20. ℣. 22.
(*b*) Vide *Cyprian.* in Epiſtolis ad S. Cornelium Papam. Et lib. de unic. Eccleſiæ. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 43.
(*c*) Matth. 16. ℣. 19. & cap. 18. ℣. 18.
(*d*) S. Hieron. in cap. 3. Iſaiæ &c.

secundam post naufragium Tabulam providit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, quo illorum quoque peccatorum veniam obtineremus, quæ post Baptismum admitterentur, si modò corde contritio & humiliato eam requiremus.

Q. 5. *Quodnam discrimen est Christum inter & Sacerdotes peccata remittentes?*

℟. Christus utpote verus Deus, (*a*) non alienâ sed propriâ virtute & auctoritate peccata dimittit: Sacerdotes autem tamquam Christi ministri & instrumenta quædam animata, non aliter quàm illius nomine & auctoritate remittunt. Veram interim peccata condonandi potestatem habent, quæ nec ulli umquam angelorum obtigit, neque ulli hominum ante Christi in carne adventum.

Collige, quantus honor ac reverentia Sacerdotali Ordini debeatur, quantaque in illis esse debeat vitæ sanctimonia, ut tanti muneris prærogativâ non sint omninò indigni.

Q. 6 *Potuitne umquam aliter, quàm ex Christi meritis peccatorum remissio obtineri?*

℟. Nemo à mundi exordio peccatorum vaniam consecutus est, aut consequetur umquam, nisi ex meritis (*b*) *Agni* illius, cujus ab æterno prævisa ac decreta est mors, quâ genus humanum reconciliaretur Deo, & tollerentur peccata mundi. Nulla igitur (*c*) sine aspersione sanguinis Christi, meritisque mortis ejus, fit peccatorum remissio.

Q 7. *Quid est* Justificatio *& quid ad eam præter peccatorum remissionem requiritur?*

℟. *Justificationis* nomine hìc intelligitur, cle-

(*a*) Matth. 9. ℣. 1. 5. & 9.
(*b*) Joan. 1. ℣. 29. & 36. Apocalyps. c. 13. ℣. 9.
(*c*) Vide Heb. 9. ℣. 14. & 22.

mentissima illa Dei operatio, (*a*) quâ gratuitò per Jesum Christum peccata nostra remittit ac delet, novasque nos creaturas efficit, charitatem cum cæteris Spiritus Sancti donis, diffundens in cordibus nostris.

Sunt itaque *peccatorum remissio* & *justificatio* semper conjunctæ, sed hæc ultra peccatorum remissionem prœtereà requirit (*b*) interioris hominis renovationem, quà verè còram Deo justus, illique gratus efficitur, qui ante injustus erat & inimicus.

Q. 8. *Quibus ad justificationem gradibus perveniri solet?*

℟. Parvulis rationis usu adhuc destitutis Sacramento Baptismatis Christi justitia & merita communicantur.

At adulti 1. excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, *credentes* vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & 2. dum peccatores se esse intelligentes, divinæ justitiæ *timore* quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt, 3 in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, 4. illumque tamquam omnis justitiæ fontem *diligere* incipiunt, 5. ac propterea moventur adversus peccata per *odium aliquod & detestationem*, 6. deinde proponunt suscipere *Sacramentum*, 7. inchoare *novam vitam* & servare divina mandata.

Hi sunt gradus, quibus, ut indicat Con. Trid.

(*a*) Concil. Trid. Seff. 6. c. 8. & 9. Tit. 3. ℣. 5. 6. & 7.
(*b*) 1. Cor. 6. ℣. 11. Rom. 5. ℣. 5. & 10.

(*a*) divinæ miserationis operatio peccatores perducere solet ad veniam peccatorum, veramque justitiam Sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ obtinendam, 1. fides, 2. timor, 3. spes, 4. dilectio, 5. pœnitentia sive peccati detestatio, 6. propositum suscipiendi Sacramenti, 7. novæque deinceps vitæ, cum observatione divinorum mandatorum.

Q. 9. *Quid tandem ex dictis pro moribus nostris utiliter concludi potest?*

℟. Quod sicut fides hujus articuli consolatione plena est iis, qui ubi humanâ fragilitate lapsi fuerint, (*b*) non tardant converti ad Dominum, neque differunt de die in diem, sed toto corde suspirant ad eum, quem peccando deseruerunt: ità res indignissima sit, hâc benignissimâ veniæ facilitate, ad Dei contemptum suamque perniciem multos abuti, crimina criminibus cumulantes, & in seram ætatem pœnitentiam differentes. Perpendat igitur unusquisque, Deum ut nunc est benignissimus, ità futurum aliquando humanæ contumaciæ vindicem implacabilem (*c*) *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

CAPUT XXX.

De 11. *Articulo*, CARNIS RESURRECTIONEM.

QUæstio 1. *Quid hoc articulo profitemur?*

℟. Futurum aliquando ut corpus hoc, quod fragile, caducum, multisque morbis obnoxium, & post mortem quoque à vermibus exedendum circumferimus, reviviscat, quando

(*a*) Seff. 6. cap. 6. (*b*) Eccl. 4. ℣. 8.
(*c*) Heb. 10. ℣. 31.

in extremo illo die mortui omnes (*a*) vocante Christo judice, per Angelorum vocem instar *tubæ* audiendam, in ictu oculi simul ad vitam & judicium, excitabuntur. Non ergo anima utpote immortalis, at solum corpus ad vitam revocabitur, id est denuò conjungetur animæ, cui jam ante unitum fuerat.

Q. 2. *Omnesne omnino homines* resurrecturi *sunt?*

℟. Omninò omnes: necesse enim est, ut ante Christi tribunal in carne cuncti appareant, (*b*) recepturi citrà exceptionem singuli, prout quisque gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum. (*c*) Procedent autem qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii, & (*d*) in supplicium æternum.

Q. 3. *Quomodo corpora jam olim versa in cineres, ità ad vitam novam redintegrari poterunt?*

℟. Qui id effecturus est, Deus est omnipotens, cui nihil est difficile, nedum impossibile, (*e*) *Omnia quæcumque voluit fecit*, nutuque suo ac voluntate facit indies *in cœlo & in terra*. Hoc nobis satis est: ut contrà (*f*) *Sadducæorum*, & Sophistarum argutias, firmissimè teneamus, idem numero corpus, quod singuli habuerunt, extremo illo tempore ad vitam esse revocandum.

Q. 4. *Quâ saltem id similitudine suaderi potest?*

℟. Exemplum tritici Apostolus adhibet: (*g*) quod quidem ubi in terram jactum fuerit, moritur & putrescit primùm, at deinde novo cum corpore exurgit & uberem fructum adfert. Ita corpora nostra instar sementis terræ mandantur,

(*a*) 1. Cor. 15. ℣. 52. 1. Thess. 4. ℣. 15.
(*b*) 1. Cor. 5. ℣. 10. (*c*) Joan. 5. ℣. 29.
(*d*) Matth. 25. ℣. 46. (*e*) Psalm. 113. ℣. 3.
(*f*) Matt. 22. ℣. 23. (*g*) 1. Cor. 15. ℣. 36. & seqq.

ut per omnipotentiam Creatoris, quando ipsi visum fuerit, restaurentur.

Q. 5. *Qua resurgentium futura est conditio, quæ gloriosorum corporum dotes?*

℟. Dispar erit justorum impiorumque conditio. Hi quidem corpora resument, ast horrida illa, divinamque vindictam præ se ferentia; justorum verò corpora gloriosa erunt, & divinis quibusdam Dotibus illustrata, quas ex Apostolo (*a*) *Paulo* quatuor præcipuas assignare solent SS. Patres, *impassibilitatem*, *claritatem*, *agilitatem*, ac *subtilitatem*.

Q. 6. *Quid* impassibilitas?

℟. Talis utique corporis constitutio, ut corrumpi, pati, affligi, ullove incommodo affici omninò non possit. (*b*) *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.*

Q. 7. *Quid autem* claritas?

℟. Splendor quidam eximius, cujus specimen quoddam Salvator exhibuit, (*c*) quando in monte facies ejus ut Sol resplenduit, eorumque qui aderant oculos suo fulgore præstrinxit. (*d*) *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.*

Q. 8. *Quid deinde* agilitas?

℟. Tanta erit ad obediendum animæ, felicitas corporis, ut illic puncto temporis futurum sit corpus, ubi illud esse voluerit anima (*e*) *Current & non laborabunt, volabunt & non deficient.* (*f*) *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

Q. 9. *Quid denique* subtilitas?

℟. Talis erit gloriosi corporis conditio, ut spirituale quodammodò effectum, nullis corpo-

(*a*) 1. Cor. 15. (*b*) 1. Corinth. 15. ℣. 42.
(*c*) Matth. 17. ℣. 2. (*d*) 1. Cor. 15. ℣. 43.
(*e*) Isai. 40. ℣. 31. Sap. 3. ℣. 7.
(*f*) 1. Cor. 15. ℣. 43.

rum obstaculis impediri aut detineri possit. (*a*) *Seminatur corpus animale, surget spirituale*, effectu scilicet & operatione, non ipsâ re aut substantiâ.

Q. 10. *Quis hujus Articuli fructus esse debet Christianis?*

℟. 1. Ut ne in funeribus propinquorum immodicè affligantur, more Gentilium (*b*) *qui* resurrectionis *spem non habent.* 2. Ut hujus vitæ ærumnas, doloresque ac morbos mortemque ipsam ubi opus est, spe gloriosæ resurrctionis forti animo perferant, ut olim fecerunt (*c*) *Jobus*, septemque (*d*) cum matre sua fortissimi juvenes *Machabæi.* 3. Denique ut quisque sedulò incumbat studio puritatis, mortificationis, & abstinentiæ, ut hæc membra nostra gloriosæ Resurrectioni præparentur, reddanturque idonea.

CAPUT XXXI.

De 12. *Articulo, Vita & morte æterna.*

VITAM ÆTERNAM. AMEN.

QUæstio 1. *Dic in Compendio quidnam hoc Articulo profiteamur?*

℟. Justis & electis post hanc ærumnosam brevemque vitam, feliciorem aliam esse repositam quæ finem numquam sit habitura: dum interim impios expectat miseria, supplicium, ac *mors æterna.*

Q. 2. *Ut à terribiliori initium fiat, quid* æternæ mortis damnatio *secum trahit?*

℟. Primò quidem sempiternum à conspectu

(*a*) Ibid. ℣. 44. (*b*) 1. Thess 4. ℣. 12.
(*c*) Job. 19. ℣. 25. (*d*) 2. Machab. 7. ℣. 28.

benignissimi Creatoris (*a*) exilium, sine ulla spei reconciliationis unquam futuræ, quod quidem damnatorum omnium supplicium est longè maximum. Deindè horribilem illum conscientiæ, (*b*) *vermem*, rodentem semper & numquam consumenten, id est, dirissimos animi remorsus de criminibus anteactis, neglectoque misericordiæ tempore, quo per pœnitentiam venia obtineri potuisset. Deinque (*c*) cruciatus animi & corporis, ab irato Deo pro ratione meritorum inflictos, quos in immensum auget, perpetuum impiorum omnium malignorumque spirituum in eodem carcere teterrimo & acerbissimo igne contubernium, cum plena convictione hæc omnia luctuosa supplicia, tam diu duratura, quàm erit Deus.

Q. 3. *Quid verò* Vita æterna?

℞. Æternæ vitæ nomine hoc loco, non tantùm animæ & corporis perpetua conjunctio intelligitur (quippè quæ & reprobis omnibus futura est communis, quæque in his sempiterna potiùs mors est quàm vita) sed vera ac perpetua totius hominis beatitudo, id est, supremi boni, ipsius inquam, Dei T. O. M. æterna possessio.

Q. 4. *Quomodo supremum illud bonum possidetur?*

℞. Videndo & amando. Nam ut in hac mortali vita tantùm (*d*) per speculum & in ænigmate Deum videmus, ita beati ineffabilem Divinæ gloriæ splendorem & pulchritudinem facie ad faciem contemplantur, tantoque amoris æstu abripiuntur, ut in illa infinitæ bonitatis abysso

(*a*) Matth. 25. ℣. 41.
(*b*) Isai. 66. ℣. 24. Marc. 9. ℣. 43.
(*c*) Vide Isai. 33. ℣. 14. Apoc. 14. ℣. 11.
(*d*) 1. Cor. 13. ℣. 12.

quodammodò

quodammodò abſorpti, ſuique obliti eſſe videantur. Sicque (*a*) totâ mente Deum poſſident, à quo viciſſim ut illius hereditas poſſidentur.

Q. 5. *Quæ Beatarum mentium eſt occupatio, quod gaudium?*

℞. Unâ omnes charitate inflammati, in laudes unius veri ac vivi Dei ſempiterno ardore ineffabiliter exardeſcent, totam illi felicitatem ſuam acceptam ferentes. (*b*) Non alia igitur iis erit occupatio, quam ut Deum O. M. ſine fine videant, ſine faſtidio diligant, ſine fatigatione collaudent.

Gaudium porrò tale eſt omnibus, ut non modò linguas hominum, ſed omnem etiam ſuperet intellectum, neque enim (*c*) oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Dici interim non poteſt quantùm eorum inde lætitia augeatur: quòd hujus felicitatis numquam amittendæ pleniſſima ſit certitudo.

Q. 6. *Eritne æqualis omnium beatitudo?*

℞. Deſiderium ſingulorum plenè erit ac perfectè ſatiatum, Attamen (*d*) ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ità alius præ alio *divinæ gloriæ lumine* altiùs illuſtratus, divinorum perfectionum impenetrabilem abyſſum pleniùs intuebitur, divinæque majeſtati proprior erit atque conjunctior. Hæc qualiſcumque diverſitas, diverſitati charitatis & *meritorum*, quibuſcum unuſquiſque ex hac vita diſceſſerit, reſpondebit.

Q. 7. *Igiturne vita æterna bonis hominum meritis* Mercedis *inſtar redditur? Nonne ab Apo-*

(*a*) Apoc. 21. ℣. 3. & cap. 22. ℣. 4. & 5.
(*b*) Vide S. Aug. lib. 22. de Civ. Dei cap. 30.
(*c*) 1. Cor. 2. ℣. 9. Iſai. 64. ℣. 4.
(*d*) 1. Cor. 15. ℣. 41.

stolo Paulo dictum est : (a) Gratia Dei vita æterna ?

℞. Vita æterna & gratia est, & merces : GRATIA quidem, quia gratuitò eam Deus homini promisit per Jesum Christum : ac prætereà opera, quibus illuc homo perducitur, ab ipsius gratia & misericordia proficiscuntur, MERCES autem, quia instar præmii & coronæ redditur iis operibus, quæ aspirante divinâ gratiâ per hujus vitæ decursum, piè sanctèque simul & liberè facta sunt. Itàque qui ex nobis ipsis (b) *servi inutiles sumus*, præveniente Spiritûs Sancti gratiâ excitati & adjuti, opera cœlo digna exercemus, quibus cùm Deus, qui promittendo se debitorem fecit, mercedem tribuit, sua (c) dona coronat.

Q. 8. *Quis ex consideratione hujus articuli fructus à nobis percipiendus est ?*

℞. Ut hujus vitæ & felicitatis consequendæ causâ, nullum nobis pietatis opus arduum, nullus labor gravis, nullus dolor acerbus, nullum in agendo patiendoque tempus diuturnum ac molestum esse existimetur. (d) Etenim si vitâ hâc, quæ calamitatis alioqui plena est ; nihil dulcius ac optabilius ducitur, quantò illa demùm potior habenda est, quæ ab omni malorum sensu & metu procul abest, quæ cœlestibus & ineffabilibus sine fine gaudiis, deliciis ac voluptatibus omni ex parte semper abundat.

Hæc explicandis iis, quæ ad fidem illiusque Symbolum pertinent, hactenùs sufficere poterunt. Adjicitur demùm hæc clausula AMEN, quâ sig-

(a) Rom. 6. ℣. 23. (b) Luc. 17. ℣. 10.
(c) Vide Trid. Sess. 6. c. 16. circa finem.
(d) Vide S. Aug. l. 1. Conf. c. 6. Item l. 3. de lib. arbit. c. 25. Item in Psalm. 136.

nificatur nos certò firmiterque tenere omnia, quæ superioribus verbis expressa sunt.



SECTIO SECUNDA.

De Sacramentis, & Cæremoniis Ecclesiæ.

OMni tempore externa quædam Religionis signa, divinitùs præscripta fidelis populus frequentavit. Ista etenim sunt communia Religionis vincula, & nutriendæ profitendæque Fidei adminicula, quibus humana infirmitas ad spiritualium rerum perceptionem manuducenda est. Inter hæc eminent Sacramenta, quorum multa fuêre sub Veteri Lege Mosaïca, pauciora sed excellentiora sunt sub Lege Nova Evangelica, per quæ omnis vera justitia vel incipit vel cæpta augetur, vel amissa reparatur, (*a*) de quibus deinceps ordine agendum.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis Novæ Legis generatim.

QUæstio 1. *Quid* Sacramenti *nomen generatim sonat?*

℟. Apud profanos Auctores *Sacramentum* plerumque dicitur, quidquid jurejurando interposito geritur: ex quo jusjurandum, quo se milites fidelem operam Reipublicæ præstituros pollicentur, *Sacramentum militare* dictum est. Verùm apud Latinos Patres vox illa rem sacram, abditam atque occultam, ac præcipuè *externum & visibile rei sacræ signum* denotat.

(*a*) Trid. Sess. 7. Proœmio.

Q. 2. *Quid verò rei est* Sacramentum *Novæ Legis?*

℟. Est *Invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem à Christo institutum. Signa* igitur sunt Novæ Legis Sacramenta, siquidem externâ quâdam specie & similitudine, id nobis referunt & declarant, quod per ipsa Deus nobiscum invisibiliter & spiritualiter agit. *Signa* autem sunt sacrosancta simul & efficacia, quæ divinæ erga nos misericordiæ dona (*a*) non modò significant, verùm etiam continent, conferuntque ad nostram sanctificationem, modò non indignè ad ea accedatur.

Q. 3. *Quodnam igitur inter Veteris Novæque Legis Sacramenta discrimen est?*

℟. Hoc scilicet, (*b*) quòd illa nuda signa essent, hæc efficacia. Etenim Jesus Christus benignissimus Redemptor, passionis mortisque suæ merita, his veluti vasis contineri voluit, dignèque suscipientibus applicari. At verò Veteris Legis Sacramenta Apostolo teste (*c*) *Infirma erant & egena elementa*, futuram aliquando per Christum cœlestium donorum abundantiam præsignantia, sed non conferentia.

Q. 4. *Quibus ex partibus constat unumquodque Sacramentum.*

℟. (*d*) Verbo & elemento. Per *verbum* hîc intellige certa quædam & determinata verba, in quibus consistit FORMA, ut vocant, Sacramentorum. Per *elementum* verò res externas, quæ MATERIAM præbent Sacramentis, ut aqua, oleum, panis, vinum, & ejusmodi.

His adjunguntur reliqua, quæ ad cujusque Sa-

(*a*) Conc. Trid. Seff. 7. Can. 6. 7. & 8.
(*b*) Ibid. Can. 2. (*c*) Gal. 4. ℣. 9.
(*d*) Aug. Tract. 80. in Joann. Concil. Florent.

cramenti tum idoneam collationem, tum dignam ſuſceptionem ſpectant; videlicet Miniſter idoneus, (*a*) intentio recta in Miniſtro, fideſque in ſuſcipiente, cum diſpoſitione, quam ſingula Sacramenta requirunt.

Q. 5. *Quot ſunt Novæ Legis Sacramenta?*

℟. Septem, (*b*) quæ à Chriſto per Apoſtolos accepta conſervavit ac fideliter diſpenſavit hucuſque Chriſti ſponſa & columna veritatis Eccleſia. Sunt autem hæc: *Baptiſmus*, *Confirmatio*, *Euchariſtia*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, & *Matrimonium*, quorum divina origo & inſtitutio in Scripturis ſacris invenitur, ſive per expreſſa inſtituentis Chriſti verba, ſive per gratiam, quam iis ex divina ordinatione annexam eſſe eædem ſacræ Litteræ inſinuant.

Quamquam ea, quæ univerſalis Eccleſia ex Apoſtolorum Traditione retinet, atque conſervanda commendat, etiamſi in Scriptura divina non reperiantur, plenam apud Chriſtianos fidem, ut ſuprà oſtenſum eſt, debeant obtinere.

Q. 6. *Omniane ſunt æqualis aut dignitatis aut neceſſitatis?*

℟. Nequaquam: (*c*) ſed *dignitate* longè auguſtiſſimum eſt Adorandum Euchariſtiæ Sacramentum; quippè quod totius gratiæ fontem & largitorem reipſâ contineat. *Neceſſitate* primum eſt Baptiſma, dein Pœnitentia. Ordo & Matrimonium Eccleſiæ gubernandæ propagandæque ſunt neceſſaria, at non ſingulis fidelium.

Q. 7. *Quid ſentiendum eſt de Sacramentorum Miniſtris?*

℟. Primò quidem (*d*) non omnibus indifferen-

(*a*) Trid. Seſſ. 7. Can. 11. (*b*) Ibid. Can. 1.
(*c*) Concil. Florent. Can. 3. (*d*) Concil. Trid. Seſſ. 7. Can. 10.

ter, sed Episcopis & Presbyteris divinitùs id potestatis datum, atque id muneris injunctum esse, ut Sacramenta conficiant, dispensent & administrent.

Secundò (*a*) ex vita & probitate Ministrorum, Sacramentorum vim & efficaciam non pendere, cùm omnium Minister principalis (*b*) sit ipse eorum Institutor Christus Jesus, cujus omnipotens virtus impediri nequit per indigni Sacerdotis improbitatem.

Q. 8. *Quis Sacramentorum effectus?*

℟. Communis omnium est *gratia* hominem Deo charum, sanctumque efficiens. Baptismi & Pœnitentiæ singularis effectus est *justificatio*, quâ homo à morte ad vitam spiritualem adducitur, ideoque hæc duo Sacramenta *mortuorum* dici solent, cætera *vivorum*, quòd ab iis qui spiritualem vitam, id est sanctificantem gratiam jam adepti sunt, suscipi debeant.

Baptismi quoque, Confirmationis, & Ordinis effectus proprius est (*c*) *Charecter*, id est spirituale quoddam & indelebile signum, quod animæ suscipientis imprimitur, quo à cæteris eo Sacramento non initiatis perpetuò secernatur, & peculiari quâdam ratione divino cultui consecretur; quæ quidem causa est, cur ea Sacramenta sine sacrilegio *iterari* non possint.

Proprium denique effectum habent Sacramenta singula, ut suo quæque tempore multiplicia auxilia conferant, idonea ad assequendum finem, ad quem sunt instituta.

Q. 9. *Quare septem illa Sacramenta Christus instituere voluit?*

(*a*) Concil. Trid. Sess. 7. Can. 12.

(*b*) Joann. 1. ℣. 33. Vide etiam S. Aug. in Libris de Baptismo contra Donatistas. (*c*) Concil. Trid. Sess. 7. Can. 9.

℟. Primùm, quia sensibilis hominum natura sensibilibus signis indigebat, quibus divina nobis promissa consignarentur, fidesque nostra in Christum Deique misericordiam & bonitatem excitaretur.

Secundò, ut prestò nobis essent animarum medicamenta, ad sanitatem spiritualem vel tuendam vel recuperandam.

Tertiò, ut his veluti tesseris, externisque symbolis, ab infidelibus, Ecclesiæ filii discernantur, ejusdemque societatis vinculo invicem colligati, fidem suam palàm profiteantur, & in humilitate ac obedientia utiliter se exerceant.

Denique exterioribus illis signis, quæ per se nullam habent ad effectus tam admirabiles operandos aptitudinem, tanta misericordiæ suæ dona annexa esse voluit Deus, ut intelligeremus sanctificationem nostram in viribus nostris minimè sitam esse: Sed opus esse singulari divini Spiritûs operatione, & gratuitâ meritorum Christi applicatione, quorum utrumque per Sacramenta modo quodam sensibili animis nostris exhibetur & confirmatur.

Q. 10. *Quid judicandum de* Cæremoniis, *ac iis præcipuè quarum solemnis est usus in Sacramentis?*

℟. Cæremoniæ ab Ecclesia probatæ, ritus quidam sunt externi, religiosè ac decenter instituti, primùm ut signa, testimonia & exercitia sint cultûs interioris, quem Deus in primis requirit.

Deindè, ut viva sint Religionis incitamenta, quibus humana imbecillitas ceu adminiculis fulciatur, & ad sacra mysteria cum capessenda, tum retinenda veluti manuducatur.

Postremò, ut quæ ad cultum divinum promovendum & ad disciplinam concordiamque publicam conservandam pertinent, honestè ac decen-

ti quodam ordine, ficut Apoftolus jubet, (a) in Ecclefia peragantur.

Eæ verò cæremoniæ, quarum eft ufus in Sacramentorum adminiftratione, quafque veluti per manus traditas & commendatas nobis à Patribus accepimus, (b) ingenti præcipuè ftudio retineri & obfervari debent. Nam præterquam quòd decorem illæ Sacramentis afferunt, & reverentiam quandam conciliant, fingulari quoque antiquitatis commendatione & myfteriorum, quam habent, fœcunditate nobis funt venerandæ.

CAPUT II.

De Sacramento Baptifmi.

QUæftio 1. *Quid eft Baptifmus?*

℟. Eft primum Novæ Legis, maximèque neceffarium Sacramentum, quo dum corpus extrinfecùs abluitur, (c) anima interiùs ab omni peccati labe mundatur, & Spiritûs Sancti donis exornatur.

Q. 2. *Cur hoc primum Novæ Legis Sacramentum effe dicitur?*

℟. Quia illud eft, quo primùm Ecclefiæ filii conftituimur, jufque adipifcimur, ut fuis locis atque temporibus alia Sacramenta fufcipere, cæterafque Matris noftræ prærogativas participare poffimus, ideoque *Sacramentorum janua* vulgò dici folet.

Q. 3. *Quomodo maximè neceffarium eft hoc Sacramentum?*

℟. Quia non folum adultis, fed etiam parvulis prorfus ad falutem neceffaria eft hujus Sa-

(a) 1. Cor. 14. ℣. 40. (b) Concli. Trid. Seff. 7. Con. 13.
(c) Vide Tit. 3. ℣. 5.

cramenti susceptio Etenim nascuntur omnes (*a*) *filii iræ* : opus igitur habent etiam parvuli emundatione peccati, nec possunt absque hoc Sacramento mundari, & in filios Dei regenerari ; nam generaliter Legislator Christus edixit : (*b*) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Q. 4 *Nullone unquam casu, sine suscepto reipsâ Baptismo, justitia, aut salus obtineri potest?*

℟. Si quis in fide instructus ardenti *voto* & perfectâ charitate Baptismum desiderans, eum nequeat adipisci, (*c*) huic voluntas pro facto reputatur, cùm factum excludat necessitas. Cæterùm parvulis, utpote propriæ voluntatis usu destitutis, nulla sine Baptismo salutis spes est, (*d*) nisi in Christi odium in suo quodammodo *sanguine* baptizentur.

Q. 5. *Quænam hujus Sacramenti materia est, quænam forma?*

℟. *Materia* unicè necessaria est (*e*) aqua simplex & naturalis, quæ sicut naturâ suâ sordes corporis abluere solet, ita aptissima est ad significandum Baptismo animam mundari à peccatis hominemque justum ac sanctum effici *Verbum* in quo Sacramenti *forma* consistit, ex Christi præscripto (*f*) sic habet : *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*

Cæterùm modò veri nominis ablutio habeatur, indifferens est ad Sacramenti efficientiam, utrùm illa *immergendo*, an *aspergendo*, aut *infundendo*

(*a*) Ephes. 2. ℣. 3. Vide Trid. Sess. 5. Can. 4.
(*b*) Joan. 3. ℣. 5. Trid. Sess. 7. de Bapt. Can. 5.
(*c*) S. Bernard. Epist. 77.
(*d*) Marc. 8. ℣. 31. Vide S. Leon. Serm. 2. de Epiphan.
(*e*) Concil. Trident. Sess. 7. de Bapt. Can. 2.
(*f*) Matth. 28. ℣. 19.

fiat, nisi quòd Ecclesiæ ritus hodiè usu receptus servandus est.

Q. 6. *Cujus id munus est Baptismum administrare?*

℟. Proprium est munus Sacerdotum, qui tamen illud, ubi justa est ratio, Diaconis committere possunt. Ast ubi necessitas vehementer urget, Baptizare potest alius quiscumque, vir aut fœmina, ne impiis quidem aut (a) Hæreticis exceptis, modò à forma Ecclesiæ & ejus verbis conceptis non recedatur; adsitque intentio faciendi quod facit Ecclesia & Christus instituit.

Q. 7. *Quem fructum & effectum præstat Baptismus ritè susceptus?*

℟. Primùm quidem id efficit, ut impio, plenè peccata omnia condonentur atque tollantur, sublatis etiam pœnis quæcumque iis ex divina Justitia pro futuro sæculo respondebant.

Secundò id præstat, ut baptizatus planè innovetur, ac verè innocens, justus, sanctus, & cœlesti gloriâ dignus in Christo efficiatur. Ut jure à Paulo dictum sit omnibus baptizatis: (b) *Ablati estis, sanctificati estis, justificati estis, in nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

Tertiò *characterem* hoc Sacramentum animæ imprimit prorsùs indelebilem, quo Christiani ab infidelibus perpetuò discernuntur Atque hinc non nisi (c) *unum* pro singulis *Baptisma*, ita ut sine sacrilegio scienter iterari non possit, ne quidem si ab Hæreticis primùm collatum fuerit, si modò constet ritè administratum fuisse; alioquin si de hac re meritò ambigatur, sub conditione repeti solet.

(a) Trid. Sess. de Bapt. Can. 4. (b) 1. Cor. 6. ℣. 11. (c) Ephes. 4. ℣. 5. Symbol. Constantinop.

Q. 8. *Quis memoratos illos Baptismi effectus ac fructus percipit?*

℟. *Characterem* recipit quisquis legitimè baptizatur. Ceteros quoque effectus semper percipiunt parvuli, quippe qui nullum perversæ voluntatis obstaculum adferre possint. Adulti autem tunc demùm priores illos Baptismi fructus consequentur, si verâ fide imbuti, cum anteactorum criminum sincera detestatione serioque novæ vitæ proposito ad Baptisma accesserint.

Q. 9. *Cùm inter originalis peccati pœnas enumerentur etiam concupiscentia, omnesque hujus vitæ miseriæ & ærumnæ, cur & illæ Baptismo non auferuntur?*

℟. Hæc omnia tum ad memoriam noxæ originalis, & infelicissimæ sortis ex qua Deô miserante, erepti fumus, tum præcipuè (*a*) ad *agonem relictæ* sunt, ut baptizati hâc occasione vigilantiùs Dei gratiam quærant, ad cœlestem patriam ferventiùs anhelent; virtutes studiosiùs exerceant, fortiùsque certando majorem sibi gloriam parent.

Cæterùm *concupiscentia* in renatis manens, etsi (*b*) ex peccato orta est & ad peccatum inclinat, ideoque interdum in Sacris Litteris *peccatum* dicitur, minimè tamen per se peccatum est, neque nocere potest iis qui consensum subtrahentes, viriliter reluctantur. Itaque, ut Apostolus docet: (*c*) *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant*, sed secundùm spiritum, quique (*d*) veterem hominem exuentes, de die in diem secundùm interiorem hominem renovantur, id quod proprium esse debet omnium Baptizatorum.

(*a*) Concil. Trid. Sess. 5. Can. 5. (*b*) Ibid.
(*c*) Rom. 8. ℣. 1. (*d*) Ephes. 4. ℣. 22. & seqq.

Q. 10. *Quid à nobis requirit, acceptum tanti Sacramenti beneficium?*

℟. 1. Assiduam animi gratitudinem, ut prædicemus, amemus & celebremus eum, (*a*) *qui secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Dominum nostrum: ut justificati gratiâ ipsius, heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

2. Ut quisque (*b*) Christianus agnoscat dignitatem suam, & divinæ consors factus naturæ, caveat in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: at econtrariò totam vitam illi consecret, cujus munere ab infelicissimo damnationis statu eductus, & in spem cœlestis hereditatis adductus est.

CAPUT III.

De Baptismi Cæremoniis.

ANtiquissimæ sunt, & à primis Ecclesiæ sæculis derivatæ, *Cæremoniæ* illæ, quarum etiamnum hodie est usus in administratione Baptismi. Id tantùm discriminis est, quòd olim *Adultis* (qui diu ante Baptismum instruendi, seriòque probandi erant & eo tempore *Catechumeni* vocabantur) diversis succesivè diebus applicarentur, ut *vigiliâ Paschatis* aut *Pentecostes* ablui possent, hodiè verò cùm adultorum Baptismus sit admodum infrequens, *infantibus* recens natis, quovis die, continuâ serie applicentur. Eas interim, earumque sacras significationes, & obligationes perspectas habere, res est non parvæ utilitatis.

(*a*) Tit. 3. ℣. 5. 6. & 7. (*b*) S. Leo Serm. 1. de Nativ.

Q. 1. *Ad quot classes Baptismi cæremoniæ redigi possunt?*

℞. Ad tres: nam aliæ Baptismum antecedunt, aliæ comitantur, aliæ denique subsequuntur.

Q. 2. *Recense eas quæ Baptismum antecedunt?*

℞. 1. Qui Baptizandus adducitur, *sistitur* primùm ad foras Ecclesiæ, quippe qui adhuc sub jugo dæmonis constitutus, illius ingressu censeatur indignus.

2. Sacerdos (*a*) *insufflat* in eum, Satanamque *adjurat*, ut virtute Spiritûs Sancti recedat ab hac creatura Dei, quam per peccatum possidet.

3. Mox (*b*) *signum Crucis fronti* imponit & *pectori* ut significetur Christianos gloriari oportere in Cruce Domini nostri Jesu Christi, totamque in Christo crucifixo fiduciam esse collocandam. Quod etiam signum Crucis dum aliàs quoque crebrò repetitur, id planè indicatur, omnem Baptismi vim & efficientiam, à Cruce Christi, id est meritis Passionis & Mortis ejus, derivari.

4. *Sal* baptizando (*c*) degustandum datur, quod cùm sit incorruptionis & sapientiæ symbolum, indicat necesse esse, ut regenerati vitiorum putredine ablatâ, sapientiæ sale conditi divina probent atque cœlestia, incorruptamque deinceps vitam ducant.

5. *Salivâ* oris sui, (*d*) Baptizandi nares auresque Sacerdos linit, utens verbo, quo olim in curatione hominis surdi simul ac muti & à dæmone possessi, usus est Christus (*e*) *Ephphetha*,

(*a*) Vide S. Aug. lib. 6. cont. Julian. cap. 5. & Epist. Cœlestini ad Episc. Gall. c. 12.

(*b*) August. lib. de Catechiz. rudib. cap. 20.

(*c*) Origen. hom. 6. super Ezech. & Concil. Carthag. 3. Can. 5. anno 397.

(*d*) Vide S. Ambr. lib. de iis qui initiantur cap. 1.

(*e*) Marc. 7. ℣. 34.

quod est adaperire ut pateant aures verbo Dei; animoque percipiat suavissimum odorem veritatis.

6. Deinde super Baptizandum *oratio Dominica* & (*a*) *Symbolum* recitantur: quod olim seorsùm fiebat, ut utrumque Catechumenus jam adultus memoriter edisceret. Intereà Sacerdos eum in Ecclesiam inducit, jubetque ter (*b*) *renuntiare satanæ*, & omnibus pompis & operibus ejus: credere etiam in Jesum Christum, illi soli fideliter adhærere. Hæc ille propriis verbis præstat si sit adultus, patrinorum autem sive susceptorum ore, si sit infans.

7. *Pectus* & *scapulæ* (*c*) inunguntur oleo benedicto, quod eâ de causâ dicitur *Oleum Catechumenorum*, quâ unctione significatur robur addi baptizatis, adversùs tentationes & diaboli impugnationes eosque jam stadium ingredi, in quo Fide, Spe & Charitate, muniti, contra malignos spiritus viriliter debeant decertare.

Q. 3. *Recense similiter eas Cæremonias, quæ Baptismum comitantur?*

℟. 1. Antiquus Ecclesiæ mos erat, ut (*d*) bis tantùm in anno Baptismus solemniter celebraretur, in vigiliis Paschæ & Pentecostes, unde & usque hodiè his solis diebus benedicitur aqua, quæ per totum annum Baptismo adhibeatur. Hujus autem benedictionis ritus incipit à lectionibus quam plurimis Veteris Testamenti, ut *Catechumenis* jam ante magnâ diligentiâ instructis, summa doctrinæ capita in memoriam revocarentur: lectionibusque interseruntur Orationes, qui-

(*a*) Vide Aug. lib. 8. Confess. cap. 2:

(*b*) S. Ambr. de iis qui initantur myst. cap. 2: Vide etiam constit. Apost. lib. 7. cap. 42.

(*c*) Vide S. Chrysostom. homil. 6. in Cap. 2. Epist. ad Coloss.

(*d*) S. Leo Epist. 4. ad Episc. Siciliæ cap. 3. & seqq. refertur Dist. 4. de consecr: Can. *Duo tempora*.

bus veræ regenerationis gratia ipsis impetretur. Deinde Sacerdos toto Clero comitante ad *Fontem* Baptismalem procedit, in Ecclesiæ introitu situm hodiè, olim foris. Ibi aquam prolixis sanctissimisque precibus *consecrat*, mysteria penè omnia & miracula memorando, quæ hoc elemento Deus olim operatus est, sufflat in eam, cereumque Paschalem immergit, ut flatu & igne adumbret virtutem Spiritûs Sancti, in aquas descendentis, efficientisque, (*a*) *ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces*. Demùm aquæ eâdem de causâ Sacrum Chrisma permiscet, oleumque catechumenorum. Atque hic est ritus quo solemnis fontis benedictio, bis quotannis peragitur.

2. Omnibus ad Baptismum præparatis, *Patrinus* & *Matrina*, quos *susceptores* vocamus, catechumenum ad Baptismum offerunt, (*b*) *spondentque* servaturum eum, quæcumque aut proprio, aut susceptorum ore promisit. *Nomen* deinde sancti alicujus ei imponunt, ut eum ille Patronum habeat, id est specialem apud Deum advocatum, morumque exemplar.

3. Postquam iteratò fidem summariè professus est catechumenus, & interrogatus velitne baptizari, ut significetur non nisi postulantibus ac desiderantibus, per se si possint, per alios si non possint, hoc beneficium impendi, tandem baptizatur : olim trinâ totius corporis in aquam *immersione*, ad significandam Christi mortem, sepulturam ac resurrectionem : hodiè trinâ aquæ in-

(*a*) Benedict. fontis Baptism.

(*b*) Undè *Sponsores* vocantur apud veteres. Vide S. Aug. de Nupt. & concup. lib. 1. cap. 20.

fusione, cum expressa semper SS. Trinitatis invocatione.

Q. 4. *Recense itidem cæremonias quæ Baptismum subsequuntur.*

℞. 1. Sacerdos baptizatum (*a*) Sacro Chrismate in vertice ungit, ut ostendat Unctionis illius spiritualis esse participem, à qua *Christi* & *Christiani* nomen deductum est, eumque adeò spirituali quâdam ratione (*b*) *Regem* effectum esse ac *Sacerdotem*.

2. *Veste candidâ* (*c*) Neophytum induit, admonens immaculatam ante Christi tribunal perferendam: id est acceptam gratiam ad mortem usque retinendam, candidamque illam vitæ innocentiam perpetuò conservandam esse.

3. Denique *cereum accensum* tradit, ut meminerit Christianum jugiter esse debere (*d*) *Lucernam ardentem ac lucentem*, divinique amoris ignem nullo unquam tempore in ejus corde extinguendum: ita ut semper paratus sit Christo sponso occurrere cum virginibus prudentibus, de quibus (*e*) Matth. 25. capite.

Q. 5. *Quodnam est munus* susceptorum, *id est* Patrini *atque* Matrinæ?

℞. Baptizandum, uti jam dictum est, Sacerdoti offerunt, nomen illi imponunt, sunt Baptismi testes, spondentque promissa omnia Catechumeni nomine præstita, fideliter servatum iri. Quare illius doctrinam & institutionem singulari studio curare debent, & in spiritualibus parentum loco esse: utque idcircò nemo ad id munus assumendus est, qui non sit in fide Catholi-

(*a*) S. Hieron. Dialog. cont. Lucifer.
(*b*) 1. Pet. 2. ℣. 9. Apoc. 5. ℣. 10.
(*c*) Ambr lib. de iis qui initiant cap. 7.
(*d*) Joan. 5. ℣. 35. (*e*) Matth. 25. ℣. 1.

ca probè

câ probè instructus, moribusque præditus verè Christianis.

Q. 6. *Nonne* cognationem spiritualem *contrahunt susceptores cum infante de sacro fonte suscepto, item cum illius parentibus?*

℞. Omninò contrahunt, ac talem quidem, quæ efficiat, ut inter personas illas nullum subesse possit legitimum conjugium.

Q. 7. *Quis ex harum omnium cæremoniarum notitia percipiendus est fructus?*

℞ Ut perpetuò quisque sit memor, & identidem renovet illam suam sponsionem seu Christianam professionem, quam in sacro lavacro, sive per se ipsum, sive per *sponsores* edidit, (*a*) „ Ingressus es Regenerationis Sacrarium (inquit „ *S. Ambrosius*) repete quid interrogatus sis, re„ cognosce quid responderis. Renunciasti Diabo„ lo, & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus „ ac voluptatibus. (*b*) Memor esto sermonis tui, „ & numquam tibi excidat tuæ series cautionis. „ Cogitet igitur Christianus, illìc se ex iræ filio, & Sathanæ servo, Dei Filium Christique membrum & coheredem, vivumque templum Spiritûs Sancti factum esse; sed cum obligatione reciprocâ, ut deinceps peccatis mortuus, Christo ac Deo vivat.

CAPUT IV.

De Sacramento Confirmationis, illiusque Cæremoniis.

Quæstio 1. *Quid hoc loco intelligitur* Confirmationis *nomine?*

℞. Sacramentum Novæ Legis quo bap-

(*a*) S. Ambros. de initiandis myst. c. 1.
(*b*) Lib. 1. de Sacram. cap. 2.

tizatis, sacro Chrismate frons inungitur ab Episcopo, ut acceptâ Spiritûs Sancti virtute, donorumque ejus plenitudine, in Christi milites adscribantur, nec erubescant fidem ejus, legemque Evangelicam profiteri.

Q. 2. *Unde probatur Confirmationem esse Novæ Legis Sacramentum?*

℟. Testimonium habet à Divina Scriptura, secundùm patrum & Ecclesiæ concordem sententiam atque interpretationem. Etenim quando (*a*) Apostoli, (ut in Actis eorum legitur) super baptizatos manus imposuerunt, ut nova illis & amplior Spiritûs Sancti gratia conferretur, signo usi sunt visibili divinitusque instituto, quo etiamnùm hodiè utuntur Episcopi, qui Apostolorum vices gerunt & locum tenent. Nihil igitur aliud quàm Confirmationis Sacramentum eo ritu, Apostoli ministrarunt. Et quamvis non jam ampliùs, ut olim, Spiritûs Sancti præsentia sensibiliter declaretur (quod quidem fundandæ propagandæque Ecclesiæ necessarium erat) non tamen Christus fideles suos deinceps frustratos voluit præcipuo effectu, qui est, ut donorum Spiritûs S. abundantiâ interiùs roborentur & confirmentur.

Q. 3. *Quis huic Sacramento suscipiendo idoneus est?*

℟. Quisquis est baptizatus, nec adhuc confirmatus; hoc enim Sacramentum de eorum numero est, quæ sine sacrilegio iterari non possunt. Olim quidem mox post Baptismum impendebatur, etiam parvulis, quod in Ecclesia Orientali servatur usque hodiè. Verùm jam pridem mos ille desiit in Ecclesia nostra Occidentali, in qua rationis usus plerumque expectari solet priusquam

(*a*) Act. cap. 8. & 19.

hoc Sacramentum conferatur, tum ut Christianus suscepti Sacramenti perpetuò memor sit, & extra periculum iterandi: tum ut majori cum fructu suscipiatur in eâ ætate, in qua & suî compos est, & tentationibus incipit esse obnoxius.

Q. 4. *Quæ verò Dispositio necessaria est, ut fructiosè suscipiatur?*

℞. Primùm quidem oportet, ut præcipua Christianæ Religionis capita jam noverit, qui post adeptum rationis usum accedit.

Deindè ut gratiam atque innocentiam baptismalem, vel conservârit, vel per Pœnitentiam recuperârit.

Q. 5. *Quis hujus Sacramenti Minister est?*

℞. Solus Episcopus id ex officio administrat; quod quidem Scriptura Sacra apertè insinuat, cum c. 8. Actuum Apostolorum, *Petrus* & *Joannes* missi fuisse leguntur, ut Samaritanos à *Philippo* jam baptizatos, impositione manuum confirmarent, & Spiritûs Sancti plenitudine impertirent. Id quoque constans Patrum Traditio, & Ecclesiæ Decisio manifestant.

Q. 6. *Quæ hujus Sacramenti materia, quænam forma?*

℞. *Materia* ex oleo & balsamo mixta est, quæ ab Episcopo consecrata (*a*) Sacri Chrismatis nomen jam olim obtinuit.

Forma verborum hæc præscripta est: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*

Q. 7. *Qualis & quanta est hujus Sacramenti suscipiendi necessitas?*

Talis, ut qui præ contemptu aut supinâ ne-

(*a*) Vide S. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 15. Item Tertull. lib. de resurrect. carnis. S. Basil. de Spir. Sanct. cap. 27.

gligentiâ suscipere omittit, non leviter peccet: utpote Deo & Ecclesiæ inobediens, ac sibi ipsi injurius, dum sciens & prudens tam potenti ad salutem subsidio semetipsum privat.

Q. 8. *Quis hujus Sacramenti effectus?*

℟. Primò, sicut per Baptismum renascimur, ita per hoc Sacramentum in Christo roboramur, virtute ac donis Spiritûs Sancti, adversùs tentationes tum interiores tum exteriores, easque præcipuè quibus à Christi Fide nos dœmon nititur avocare.

Secundò, indelebilis animæ *Carecter* imprimitur, quo sicut in Baptismo Deo consecramur in *filios*, ità hìc Christo adscribimur in *milites* ut ejus honorem & gloriam ad mortem usque fortiter tueamur.

Q 9. *Quid sacræ Significationis habent hujus Sacramenti ritus & ceremoniæ?*

℟. Primò, *Chrisma*, ut jam dictum est, adhibetur ex oleo & balsamo confectum, *oleum* quod ex se emollit atque confortat, indicat hujus Sacramenti virtute jugum Domini suave nobis effici, nosque ad illud constanter ferendum, roborari. *Balsamum* quod naturâ suâ fragrantissimi odoris est & à corruptione præservat, indicat nos ab infectione peccati expurgatos, quovis loco ac tempore suavissimum virtutis odorem spirare oportere.

Secundò, post manus capiti impositas, pollici suo Sacro Chrismate tincto, *Signum crucis* format Episcopus in *fronte* confirmandi, ut quia in fronte sedes pudoris est, intelligamus hoc Sacramentum debere in nobis id operari, ut nullo unquam tempore erubescamus Fidem Christi, aut Crucem ejus, quo ille instrumento nostram ac totius mundi redemptionem operatus est.

Tertiò, levem *alapam* confirmato impingit Episcopus, ut Christianam militiam invictâ patientiâ sibi exercendam & ornandam esse, perpetuâ memoria retineat.

CAPUT V.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento: ac imprimis de reali Christi in Eucharistia Præsentia, Transsubstantiatione, & Adoratione illi ibidem debita.

QUæstio I. *Quid est Eucharistia? Et quæ nominis ratio?*

℞. Est diviniſſimum illud Novæ Legis Sacramentum, quo sub panis, vinique symbolis, verum Christi Corpus, verusque Sanguis mysticè immolantur, populoque fideli sumenda proponuntur.

Eucharistiæ nomen *gratiarum actionem* sonat, quo nomine hoc Augustiſſimum Mysterium nuncupatur, quòd oblatione dignâque receptione Corporis & Sanguinis Christi, sub externis panis, vinique speciebus, nulla dignior Deo *gratiarum actio* exhiberi poſſit. Inde porrò hoc nomen Ecclesia derivavit, quòd Christus hoc Sacramentum instituens, gratias egisse legitur.

Ceterùm præter hoc, variis aliis nominibus designari solet hoc adorandum Mysterium, vocatur enim, *Sacra Communio*, *Sacra Mensa*, *sacra Synaxis*, *Panis Filiorum*, *Panis Angelorum*, *Sacramentum Altaris*, *Sacramentum Pacis & Charitatis*, *Viaticum* hujus peregrinationis &c.

Q. 2. *Numquid priusquam hoc Sacramentum Christus institueret, jam pridem ante promiserat id aliquando se facturum?*

n. Ità planè promiserat, ut Discipulorum animos ad tam grande Mysterium præpararet. Etenim *Joan*. 6. *Cap*. postquam quinque illa virorum millia quinque panibus & duobus piscibus, ad saturitatem usque refecerat, transmisso Lacu Tiberiadis, postridiè in oppido Capharnaum, quò eædem turbæ Jesum secutæ erant, prolixum ad eos sermonem habuit, in quo primùm eos adhortatus, ut solidiorem & durabiliorem cibum quàm quo corpus alitur, inquirerent ac sectarentur, quem ad æternam vitam obtinendam cum vera sinceraque fide comederent, deinde professus se esse Panem vivum qui de cœlo descendit, ut si quis ex eo manducaverit, vivat in æternum, tandem subnectit dicens : (*a*) *Panis quem ego* DABO, *Caro mea est pro mundi vita*. Quod cùm carnales homines carnali sensu intelligerent, acsi more aliarum carnium corpus ejus dilaniandum dentibus, & comminuendum foret, nihilominùs asserti sui promissionisque veritatem, amplioribus verbis confirmavit, dicens : (*b*) *Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus ; qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo*. Licet denique carnalem istorum intellectum represserit, spirituali modo id peragendum docens : interim sermonis hujus duritie, ut iis videbatur, offensi, multi etiam è Christi Discipulis ab ejus deinceps consortio defecerunt. Cùmque & duodecim Apostolis suis discedendi, si vellent, potestatem fecisset Jesus, omnium nomine respondit Petrus : (*c*) *Domine ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei*. Hac ita-

(*a*) Joan. cap. 6. ℣. 52. (*b*) Ibidem ℣. 56.
(*c*) Ibidem ℣. 69.

que Christi promissione præmuniti Apostoli, ad sublimissimum hocce Mysterium, cùm institutum fuit, minùs obstupuerunt.

Q. 3. *Quomodo autem institutum fuit?*

℟. Cùm imminente Passione ultimum cum Discipulis ex Mosaicæ Legis præscripto, Pascha celebraret Jesus, (*a*) accepit Panem, & gratias agens benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, HOC EST CORPUS MEUM, *quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem*. Similiter & Calicem accipiens, gratias egit & dedit illis dicens: *bibite ex hoc omnes*: HIC EST ENIM SANGUIS MEUS, &c. Hæc Christi verba, quibus in hujus Sacramenti consecratione Ecclesia Catholica utitur, eodem tenore referunt tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, unà cum B. Paulo Apostolo 1. Epist. ad Corinth cap. XI.

Q. 4. *At quo pacto illa institutionis verba intelligenda sunt figuratène an propriè?*

℟. (*b*) Ipsa verborum simplicitas quatuor diversis locis sine ulla vel restrictione, vel interpretatione proposita, naturalem planè, obvium ac literalem exigit intellectum; maximè cum sciamus verba ista ab eo esse prolata, cui idem sit posse quod velle, cuique non magis sit difficile prædictis verbis corpus suum, ac sanguinem in Eucharistia reipsâ exhibere, quàm olim fuerit istis verbis, (*c*) *Mulier ab infirmitate dimissa es*, sanitatem reverà impendere. Denique perpetuus Ecclesiæ sensus literalem hunc intellectum luculenter evincit. Nam ante

(*a*) Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.
(*b*) Vide Exposit. Doctrinæ Cathol. Illust. D. *Bossutii* art. X. XI. & XII.
(*c*) Luc. 13. ℣. 12.

sæculum undecimum, quo (*a*) BERENGARIUS, reclamante toto fidelium cætu, figuratum eorum Christi verborum intellectum invehere frustrà conatus est, nemo hâc de re quæstionem movisse reperitur, sive in Ecclesia Latina sive Græca, jam pridem funesto schismate à Romana separata. Hoc interim BERENGARII commentum resuscitarunt *Zwinglius* & *Calvinus*, quos contempto Ecclesiæ sensu, usque hodie sectantur eorum asseclæ.

Q. 5. *Estne igitur res omninò certissima Christum Jesum, non tantùm per* figuram, *aut* virtutem *fide apprehensam, sed* verè realiter, *ac* substantialiter *præsentem esse in hoc Sacramento?*

℟. Est utique; (*b*) & quidquid sensuum nostrorum infirmitas reclamet aut caliginosa mens impossibilitates oggerat, post tam expressa Christi Omnipotentis verba, perpetuumque Ecclesiæ sensum, minimè fas est homini Christiano hâc de re dubitare. Voluit certè benignissimus Salvator, qui semetipsum obtulit hostiam immaculatam Deo, sensibiliter nos certos effici hanc pro nobis hostiam fuisse immolatam: quocircà, sicut sub Veteri Lege, oblatis pro se victimis pacificis, populus communicabat: ita pariter Jesus Christus illud ipsum corpus pro nobis oblatum, tametsi tollendi horroris gratiâ sub aliena specie velatum, re ipsâ nobis communicatum voluit. Ità (*c*) *Cùm dilexisset suos... in finem dilexit eos*, & hâc quoque ratione nobiscum esse voluit (*d*) usque ad consummationem sæculi.

(*a*) Erat *Berengarius* Andegavensis in Gallia Archidiaconus, Hic cùm sæpe damnatum à se repetiisset errorèm, eum anno 1088. moriens, postremo retractasse dicitur.

(*b*) Vide Illustres SS. Patr. locos apud *Maldonatum* in ℣. 26, c. 26. Matth. Item copiosissimè apud *Bellarminum* lib. 2. de Eucharistia. (*c*) Joann. 13. ℣. 1. (*d*) Matth, 28. ℣. 20.

Ceterùm res nimiùm luctuosa est, quòd immensa hujus beneficii magnitudo, ipsi beneficio fidem auferat, apud homines ingenio suo nimiùm tribuentes.

Q. 6. *Cùm Eucharistia Sacramentum sit, necesse est ut sit signum: cujus igitur rei signum est, si ipsam Corporis & Sanguinis Christi veritatem continet?*

℟. Signum est, & quidem multiplex, ac primò quidem ipsæ Panis Vinique species Christi verbo consecratæ, cùm sensibus nihil præter Panem Vinumque referant, menti tamen per fidem illustratæ confirmant Salvatorem ipsum verè adesse præsentem.

Secundò, acerbissimam Christi Passionem mortemque in memoriam revocat hoc Sacramentum: ita ut utriusque hujus rei gratiâ, cùm de hujus Mysterii celebratione mandatum daret Apostolis, eorumque Successoribus dixerit: (a) *Hoc facite in meam commemorationem.*

Tertiò, idem hoc Sacramentum admonet, Christianos (b) unum omnes corpus esse, qui de uno illo Pane cœlesti omnes participant.

Denique cœlestis gloriæ nobis hic pignus datur, fore scilicet ut revelatâ facie se olim nobis exhibeat Deus, qui se alienâ velatum specie tantâ jam benignitate impendit.

Q. 7. *Ubi jam panis vinumque, hujus Sacramenti materia, verbis Christi à Sacerdote consecrata sunt, remanetne aliquid de panis aut vini substantia?*

℟. (c) Fides nostra, omnipotenti Christi verbo ad literam, ut oportet, intellecto innixa, nullam hìc post Consecrationem substantiam ag-

(a) Luc. 22. ℣. 19. (b) 1. Cor. 10. ℣. 17.
(c) Vide Exposit. Doctr. Cathol. art. 13.

noscit, præter ipsum Christi Corpus & Sanguinem. Credimus itaque totam panis vinique substantiam, in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, omnipotenti Dei virtute converti, ita ut sola panis vinique accidentia perseverent. Hanc porrò admirandam conversionem vetustissimi Patres (*a*) *Transelementationem* subindè appellarunt, recepto autem hodiè vocabulo (*b*) TRANSSUBSTANTIATIONEM vocat Ecclesia Catholica.

Q. 8. *Existitne hic Christi Corpus sine Sanguine, Sanguisque seorsùm à corpore?*

℟. Vi quidem *verborum* quibus Consecratio perficitur, sub Panis specie solum Christi Corpus, solusque sub Vini specie Sanguis præsens constituitur; at *per concomitantiam* necessariam, ubicumque est Christi Corpus, ibidem est & Sanguis, ac vice versâ adeò ut sub utraque specie, quin & sub singulis utriusque partibus totus Christus, idem ille qui gloriosus est in cœlis, ineffabili quodam modo fit præsens.

Q. 9. *Quâ ratione hæc omnia fieri possunt?*

℟. In iis omnibus tota ratio facti est omnipotentia facientis.

Q. 10. *Rectène hoc Sacramentum à Catholicis adoratur?*

℟. Imò verò rectissimè, & impius sit qui Jesum Christum verum Deum, ubicumque noverit esse præsentem, renuat adorare: quod contra *Lutherum* facilè agnoscunt *Calviniani* Horum error est Christum in Eucharistia verè non esse præsentem: illius verò, adesse quidem, sed unà

(*a*) S. Cyrillus Hierosol. Catech. 4. Mystagog. &c.
(*b*) Conc. Rom. sub Gregorio VII. an. 1079. Conc. IV. Lateran. sub Innocentio III. an 1215. Can. I. Conc. Constantiense an. 1414. Sess. 8. Conc. Trid. Sess 13. cap. 4. & Can. 2. Nota hoc ultimum Concilium œcumenicum inchoatum fuisse sub Paulo III, an. 1545. & finitum sub Pio IV. an. 1563.

cum panis vinique substantiâ, tunc demùm cùm manducatur : nullo autem modo Christum quamvis præsentem hìc esse adorandum. Cæterum hæc est vis invincibilis veritatis, ut Sectarii illi qui eam oppugnant, mutuis sese armis conficiant errorisque convincant. Sic de utrisque triumphat Ecclesia Catholica, in Fide semper immobilis.

CAPUT VI.

De hujus Sacramenti usu, & fructu.

QUæstio 1. *Estne hujus Sacramenti perceptio Christiano homini necessaria?*

℟. Est utique iis, qui ad adultam ætatem pervenerint, tum ex Christi Præcepto, tum ex præscripto Ecclesiæ. Olim quidem dabatur & parvulis : sed mos ille jam pridem in desuetudinem abiit, sentiente nempe Ecclesiâ, id parvulis ad salutem non esse necessarium. Ceterùm adultis ad spiritualis vitæ nutrimentum, sumendæ hujus alimoniæ necessitatem Christus imposuit his verbis : (*a*) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Q. 2. *Nonne ex iis Christi verbis consequens est, parem esse necessitatem, ut sub utraque specie Eucharistia percipiatur?*

℟. (*b*) Non est consequens : nam qui vel unam speciem sumit, Corpus & Sanguinem Christi accipit, cùm sub una æquè multum contineatur, ac sub utraque : totus scilicet Christus Jesus, Deus homo, vivus & vivificans ; qui qui-

(*a*) Joan. 6. ℣. 54.
(*b*) Vide Exposit. Doct. Cathol. per *Bossuetium* art. 17. & Conc. Trid. Sess. 21.

dem eodem Cap. 6. Joan. etiam dixit, (*a*) *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum....* (*b*) *Qui manducat me, vivet propter me.* Hujusmodi ergo necessitatem aut præceptum utramque simul speciem percipiendi, Ecclesia Catholica non agnoscit, nisi pro Sacerdotibus, divina mysteria celebrantibus.

Q. 3 *At numquid olim sub utraque specie fidelibus Eucharistia distributa fuit?*

℟. Fuit omninò multis sæculis: sed ità tamen ut multis semper casibus unica species sumeretur. Infantibus olim sola vini species infundebatur, Persecutionis tempore, solam panis speciem domum auferebant fideles, opportuno tempore sumendam; ad infirmos etiam sola panis species jam inde à priscis temporibus deferri consuevit. Cùm igitur hanc rem ad disciplinam, quæ mutationi obnoxia est, pertinere semper Ecclesia judicârit, tandem posterioribus hisce temporibus generaliter sanxit, ut ad irreverentiam & varia incommoda evitanda, fideles Laïci sub unica panis specie hoc Sacramentum accipiant.

Q. 4. *Quoties Eucharistia sumenda est?*

℟. Præceptum Christi, quòd circà tempus, sumendique frequentiam nihil determinat, hodierna Ecclesiæ disciplina hâc formâ servandum proponit, ut singuli fideles, saltem quotannis semel circà Festum Paschæ hoc Sacramentum dignè percipiant, gravissimis pœnis futuri obnoxii, si neglexerint. (*a*) Optat interim ut primorum fidelium fervorem æmolantes, hoc divinum alimentum, omnemque malorum antidotum quàm frequentissimè accipiant, quod quidem consulendum iis, qui à crimine, pravisquè affectibus im-

(*a*) Joan. 6. ℣. 59. (*b*) Ibid. ℣. 58.
(*c*) Concil. Trid. 22. cap. 6.

munes, vitam ducunt Christiano homine, ac Deo dignam: impiis verò cunctisque qui in peccati mortalis statu versantur, prima incumbit necessitas seriò pœnitendi, ut digni fiant. Prudentis piique directoris consilium quisque hac in parte sequatur.

Q. 5. *Numquid infirmis, si mortis periculum ingruat, percipiendæ Eucharistiæ Præceptum incumbit?*

℟. Incumbit planè, ne quantum in ipsis est, sine cœlestis hujus cibi *viatico*, & potentissima sacratissimi Corporis Christi protectione, ex hac vita discedant. Idcircò quovis tempore aliquæ Eucharistiæ particulæ reservatæ fuerunt, ut, pro enatâ occasione ad infirmos deferrentur. Ministrata autem hoc modo Eucharistia, jam pridem *viaticum* vocari consuevit.

Q. 6. *Quænam dispositio necessaria est, ut dignè ac fructuosè Eucharistia sumatur?*

℟. Alia requiritur ex parte corporis, alia ex parte animæ.

Ex parte corporis, necesse est ut à media nocte quæ præcessit, nihil cibi potûsve, ne leviter quidem, degustatum fuerit, nisi fortè ab infirmo per modum *viatici*, hoc Sacramentum sumeretur. Usus iste, rarissimis quibusdam casibus exceptis, perpetuò in Ecclesia usitatus, (*a*) ex Apostolicâ Traditione profluxit.

Ex parte animæ (*b*) dispositio præ cæteris omnibus necessaria est, ut ab omni crimine seu noxâ mortali, immunem habeat conscientiam, qui ad hæc tremenda mysteria sumenda accedit (*c*) *Probet* igitur *seipsum homo, & sic de pane illo edat,*

(*a*) Vide S. Augustin. Epist. 118. ad Januarium nunc 54.
(*b*) Concil. Trid. Sess. 13. cap. 7.
(*c*) 1. Cor. 11. ℣. 28.

& de calice bibat : qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. A cæteris nempè cibis profanis, quibus corpus alitur. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Verba sunt *Pauli* Apostoli. Ecclesiastica autem consuetudo declarat (inquit (*a*) S. Synodus Trid.) eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.

Annitendum est insuper, ut adsit viva fides, firma spes, ardens charitas, profunda humilitas, intima gratitudo, hujus denique cœlestis alimoniæ sancta fames

Q. 7. *Quem fructum percipiunt, qui cum hujusmodi dispositione Eucharistiam sumunt?*

℞. Fructus est multiplex atque uberrimus. Primò Fidelis anima, intimâ quâdam unione cum Christo conjungitur. Secundò, indè nascitur ipsorum quoque inter se Fidelium indivulsa conjunctio, quâ fiat in ipsis (*b*) *cor unum & anima una.* Tertiò augetur & roboratur in singulis vita illa spiritualis ac divina, quæ in Baptismo primùm donata est. Quartò ardor concupiscentiæ, fomesque peccati, sensim diminuitur, (*c*) ut nihil quod caro blanditur libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat. Quintò denique æternæ vitæ, gloriosæque Resurrectionis pignus hic nobis datur.

Q. 8. *Quis contrà effectus indignæ communionis?*

℞. *Quicumque*, inquit Apostolus loco jam in-

(*a*) Ibid. (*b*) Actor. 4. ℣. 32.
(*c*) S. Gregor. hom. 11. in Evang.

de allegato, *manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ad hujus autem sacrilegæ profanationis vindictam id consequi solet, ut à Dei benignitate homo magis ac magis deseratur: interior mentis oculus sensim obtenebretur: cor induretur: Spiritus dissensionis, veritatisque ac justitiæ odium enascatur: impœnitentia finalis, ipsaque æterna damnatio consequatur, quam hujus vitæ subitus atque improvisus exitus, visibili punitione interdùm accelerat.

CAPUT VII.

De Sacrificio Novæ Legis, quod in Missa offertur.

QUæstio 1. *Quid* Sacrificii *nomen generatim indicat?*

℞. Latiori interdùm sensu denotat, omnem hominis actionem, sive interiorem, sive exteriorem, quâ religiosus Deo cultus exhibetur.

At strictiori sensu, *Sacrificium* dicitur, religiosa illa actio, quâ res externa atque sensibilis Deo Opt. Max. ita offertur, ut in agnitionem supremi, quod habet in res omnes, dominii, illa mactetur, destruatur, aut certè quovis modo immutetur.

Porrò *Sacrificium*, *Hostia*, & *Victima* hòc inter se differunt, quòd Sacrificium ipsam offerendi actionem denotet, Hostia verò & Victima rem quæ offertur.

Q. 2. *Fuitne quovis tempore visibile hujusmodi Sacrificium Deo oblatum?*

℞. Fuit planè tùm sub Lege naturæ, tùm sub Lege Mosaïca; id quod Sacræ Litteræ disertè indicant. Imò verò fuit hæc divini cultûs, quod

ad exteriora attinet, pars semper præcipua; neque unquam oblatum, nisi illi, qui vel verus Deus esset, vel falsâ opinione divinitatem aliquam habere crederetur.

Q. 3. *Quarum præcipuè rerum oblatione Sacrificia olim offerebantur?*

℞. *Animalium*, quæ primùm solenni ritu mactabantur, ac deinde tota, vel saltem ex parte cremabantur. Panis tamen & Vinum solennem quoque in Sacrificiis locum habuerunt.

Q. 4. *Quotuplicia erant sub Veteri Lege Sacrificia?*

℞. Si fines spectes ob quos offerebantur, erant quadruplicia: vel enim id spectabat offerens, ut palàm agnosceret ac protestaretur supremam Dei in res omnes potestatem atque dominium, & *Sacrificium Latreuticum* dicebatur; id est adorationis soli Deo debitæ; aliterque *Holocaustum*, quòd tota hostia igne absumeretur. Vel eò referebatur victima, ut crimina atque delicta expiaret, eratque *Sacrificium Propitiatorium*. Vel ideò offerebatur ut pro perceptis à divina largitate beneficiis gratiæ agerentur, & *Sacrificium Eucharisticum* vocabatur. Vel denique id agebatur, ut qui offerebat, divinæ largitatis munera impetraret, atque *impetratorium* nuncupabatur.

Q. 5. *Estne aliquod etiam sub Nova Lege visibile verique nominis Sacrificium?*

℞. Est enim verò, ac tale quidem quod per vetera omnia sacrificia adumbratum fuerit quodque (*a*) eorum omnium diversitatem suâ plenitudine complectatur. Est hæc illa (*b*) oblatio munda, quæ nullâ offerentium impietate polluitur, quæque, ut Propheta prædixerat, à solis ortu

(*a*) Secret. Dominicæ 7. post Pentecost.
(*b*) Malac. 1. ℣. 12. Conc. Trid. Sess. 22. c. 1.

usque ad

usque ad occasum omni loco offertur in gentibus, quoties Eucharistiæ Sacramentum, per Sacerdotes Christi vicarios ritè conficitur.

Q. 6. *Quo pacto in Eucharistia veri nominis sacrificium reperitur?*

℟. (*a*) Jesus Christus hìc mysticè immolatur; & in agnitionem supremæ Dei potestatis offertur æterno Patri. Etenim cùm panis & vinum, Christi nomine ac verbis, à Sacerdote consecrantur, quantùm est ex vi verborum, Corpus seorsùm sub specie panis, Sanguisque seorsùm sub specie vini constituuntur, ità ut violenta illa mors, quam olim Dei Filius pro nostra salute subivit, sub externis hisce symbolis vivaciter repræsentetur. Ille interim (*b*) *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, hoc suum munus etiam hìc exercet, mortem suam exhibens, ac semetipsum offerens Patri, ut propitius sit peccatis nostris; & reconcilietur nobis.

Q. 7. *Numquid hæc doctrina injuria est cruento illi Sacrificio, quod Christus in cruce peregit, cùm id fuerit pretii infiniti?*

℟. Nullo modo: nam hoc Novæ Legis Sacrificium incruentum, non ideò offertur, quòd cruentum illud fuerit insufficiens, sed (*c*) ut illius memoria gratissimo animo recolatur, & salutaris virtus nobis applicetur, in remissionem eorum quæ committimus indies peccatorum.

Q. 8. *Cujus est hoc Sacrificium Novæ Legis offerre?*

℟. Si de Solemni Corporis ac Sanguinis Christi consecratione agitur, munus istud ad solos Apostolos, eorumque in Sacerdotio legitimos

(*a*) Vide Exposit. Doct. Cath. art. 14. & 15.
(*b*) Heb. 7. ℣. 25. (*c*) Conc. Trid. Sess. 22. c. 1.

successores pertinet, quibus utique solis à Christo dictum est : (a) *Hoc facite in meam commemorationem.* Cùm interim illi hâc in parte ministerium ac personam gerant Jesu Christi sponsæque ejus Ecclesiæ, Christus ipse semper est *principalis offerens*, verus utique Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ipsa quoque Ecclesia, singulique adeò fideles, qui cum fide & pietate sacrificio assistunt, hanc unicam salutis nostræ victimam, solumque per suum sanguinem propitiatorem, Deo offerunt per manus Sacerdotis, protestantes se præter hanc hostiam immaculatam, & immensum pretium mortis ejus, nihil Deo dignum offerre posse. Huic autem divinæ victimæ toto cordis affectu se conjungentes, unâ semetipsos offerunt hostias viventes Deo.

Q. 9. *Ad quos fines, sive à Sacerdote, sive à fidelibus adstantibus hoc Sacrificium offerendum est?*

℟. Ad hoc quatuor q. 4. supra insinuatos. 1. Ut Deus Opt. Max. supremus rerum omnium Dominus, perfectissimo quo possimus modo, *colatur atque adoretur.* 2. Ut de perceptis ab ejus benegnitate muneribus, ac præcipuè de ineffabili illo redemptionis beneficio, *gratiæ* illi per Jesum Christum agantur. 3. Ut quæ ad salutem, divinæ misericordiæ dona necessaria sunt atque utilia, *impetrentur.* 4. Ut quæ delinquimus indies, clementi ejus misericordiâ *condonentur.*

Q. 10. *Estne igitur hoc Sacrificium verè propitiatorium?*

℟. Est planè, non modò pro vivis, sed pro iis etiam qui in Christo mortui sunt, nec adhuc plenè sunt expiati : ut liquidò constat ex perpetuâ Ecclesiæ consuetudine sacrificium hoc offe-

(a) Luc. 22. ℣. 19.

tentis, ut animæ fidelium defunctorum, ad Dei conspectum citiùs admittantur.

Q. 11. *Utrum Sanctis tam Christo regnantibus Sacrificium offeratur, an pro Sanctis?*

℟. (*a*) Sacrificium cultus est soli Deo debitus: Nulli ergò creaturæ quantumvis sanctissimæ offertur unquam, neque offerri potest. Sanctorum tamen ad altare memoria celebratur, non ut pro iis oretur qui precibus nostris nullo modo indigent, sed ut gratiæ agantur pro donis & victoriâ, quam illis largitus est Deus, eorumque pro nobis patrocicia implorentur.

Q. 12. *Quonam verò ritu Sacrificium Novæ Legis offertur?*

℟. (*b*) Antiquissimus, imo perpetuus Ecclesiæ usus est, ut multis cum cæremoniis, sacrisque ritibus offeratur, qui ad conciliandum tanto mysterio decorem ac reverentiam, devotamque fidelium attentionem, saluberrimè sunt instituti. Tota porrò harum observantiarum ac rituum series, vetusto nomine Missa nuncupatur. Quod quidem nomen à duplici populi *dimissione* desumptum est, quarum alterâ *Catechumeni*, alterâ *Fideles* ipsi dimittebantur, dicente Diacono: *Ite Missa est.*

CAPUT VIII.

De Missa *ejusque partibus & cæremoniis.*

Quæstio 1. (*c*) *Quænam sunt, ut ritè Missa celebretur, prævié necessaria?*

℟. 1. Oportet ut Sanctus sit locus, in

(*a*) Conc. Trid. Sess. 22. c. 3. (*b*) Ibid. cap. 5.

(*c*) Hæc quæ sequuntur ex *Catechismo Historico* magnâ ex parte desumpta sunt, parte 2. lect. 45. 46. 47. 48. & 49.

quo celebranda est Missa; id est debet esse, quantùm fieri potest, *Ecclesia* solemni ritu consecrata, vel saltem *oratorium* ab Episcopo benedictum.

2. *Altare*, in quo Sacrosanctum Christi Corpus reponendum est, ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine Reliquias Sanctorum inclusas habere debet, nec priùs ad Sacrificium adhiberi, quàm prolixâ ab Episcopo cæremoniâ fuerit consecratum.

3. Ipsa quoque *Sacra Vasa* atque *indumenta*, quibus ad Altare est usus, suas habent benedictiones speciales; quæ omnia eo tendunt, ut augustissima tanti mysterii Majestas, rebus hisce sensibilibus Fidelium animis altius inferatur.

Q. 2. *Quot sunt præcipuæ Missæ partes?*

℟. Commodè reduci possunt ad has sex: precatio, doctrina, oblatio, consecratio, communio, & gratiarum actio; quæ singulæ prout in *solenni Missa* peraguntur, paucis expendendæ sunt.

Q. 3. *Quid igitur complectitur prima Missæ pars, quæ* precatio *dicitur?*

℟. Ubi solenne missæ celebrandi tempus advênit (quod est inter tertiam & sextam diei horam, majori jam officii divini parte decantatâ) Sacerdos post privatas *preces*, Psalmosque recitatos, & Mysterii mox celebrandi attentam considerationem, *aquam benedicit*, quâ populum deinde aspergit, tùm ut baptismi memoriam renovet, tùm ut adferendæ ad Sacrificium munditiei & sanctitatis admoneat.

Tùm comitante Diacono, Subdiacono ac pluribus Acolythis incensum & luminariâ deferentibus, & singulis ordini suo convenienter indutis, ad Altare solenni pompâ procedit, Choro inte-

eſm Antiphonam, & Pſalmum canente, qui hac de cauſa *Introitus* dicitur.

Cùm Sacerdos ad Altare pervênit, ad imum gradum ſtat, & profundè inclinatus peccata ſua generatim *Confitetur*, Sanctorum, & Miniſtrorum, adſtantiſque populi precibus ſe commendans, qui viciſſim etiam *confitentur* : quæ quidem confeſſio idcircò adhibetur, ut quotidianorum, occultorumque delictorùm pœnitenti animo à Deo venia poſtuletur, animiſque quoad fieri poteſt, purgatis ad tremenda myſteria accedatur, eâdemque de causâ mox iteratur aliquoties *Kyrie eleiſon*, id eſt, Domine miſerere.

Confeſſione peractâ, Sacerdos aſcendit ad Altare, quod cùm Jeſum Chriſtum repræſentet, venerabundus oſculatur; Sanctos commemorans quorum iſtic reliquiæ quieſcunt : tùm Thurificat, & ſalutato populo *Orationem* pronuntiat, quam quòd omnium quodammodò in ſe vota ac deſideria complectatur & colligat, *Collectam* dicimus. Ad hanc omnes reſpondent *Amen*, quod eſt Hebraicè, *fiat*, ut ſe oranti Sacerdoti unanimiter conſentire ſignificent. Hactenùs prima pars, quam *precationem* ſuprà vocavimus.

Q. 4. *Quid verò continet ſecunda pars, quæ ad doctrinam & inſtructionem pertinet?*

℟. Poſt orationem à Sacerdote pronuntiatam, Subdiaconus Lectionem Veteris aut Novi Teſtamenti recitat, quæ dicitur *Epiſtola*, quia plerumque è Pauli aliorumve Apoſtolorum Epiſtolis deſumpta eſt, continetque doctrinam illius diei officio congruentem. Hanc lectionem ſequitur cantus *Alleluia*, quod eſt Hebraïcè *Laudate Deum*, cui verſiculus è Pſalmis ſubjungitur.

Diaconus interim flexis genibus orat, ut ſe annuntiando *Evangelio* Deus idoneum præſtet,

acceptaque Sacerdotis benedictione ad locum ei lectioni deputatum procedit, omnibus Altaris Ministris cùm luminaribus & incenso comitantibus. Librum Evangeliorum Diaconus sublimem defert, cui assurgunt omnes, stantque dum legitur, tùm ut reverentiam significent, quâ Verbum Dei, incarnatamque Sapientiam cujus Liber ille signum est, prosequi debent Christiani omnes, tùm ut promptos se exhibeant ad implenda ea, quæ Evangelica lex præscribit. Tùm veteri more Sacerdos Cathedram conscendit, populumque vulgari, sermone alloquens, Evangelium modò lectum exponit, moribusque emendandis accommodat. Fidem suam deinde Sacerdos cum populo profitetur Constantinopolitano Symbolo, quòd statim recitatur.

Ceterùm hucusque olim divino officio sinebantur interesse *Catechumeni*, qui ad fidem baptismique gratiam præparabantur, ac deindè dimittebantur, ne secretiori mysteriorum celebrationi assisterent. Id autem *Missa Catechumenorum* dicebatur.

Q. 5. *Quid complectitur tertia Missæ pars, quæ* Oblatio *dicitur?*

℟. Post Symbolum recitatum, Sacerdos populo iterum salutato, panem & vinum *offert* materiam Sacrificii, mox in Christi Corpus & Sanguinem convertenda: quâ consideratione jam inde *Hostia immaculata* à Sacerdote nuncpantur.

Panis *Azymus*, id est non fermentatus, esse debet ex more Ecclesiæ Romanæ (*a*) Vino paululum aquæ admiscendum est, partim ad exhibendam aquam illam, quæ ex Christi mortui latere unà cum sanguine manavit: partim ad

(*a*) Conc. Trid. Sess. 22. c. 7.

demonstrandam, tùm divinæ naturæ cum humana, tum fidelis populi cum Christo conjunctionem: at maximè quòd *Christus* Dominus ità fecisse credatur.

Sacerdos oblata thure perfundit, angelosque precatur, ut odorem aromatum, id est preces nostras isto incenso significatas, ante Deum perferant. Tùm populi oblationes accipit; at priùs singulis osculandum præbet Patinam: quod osculum, signum quoddam pacis est, perfectæque inter fideles reconciliationis atque concordiæ, quam quidem (*a*) expresso mandato à fidelibus suis Christus haberi voluit, priusquam munus ad Altare offeratur. Offeruntur deinde cerei, pecunia, vel alia quælibet, à fidelibus spontè collata, in Clericorum & pauperum alimenta, Ecclesiarumve ministeria.

Oblationibus acceptis, *manus abluit* Sacerdos, munditiam à Deo postulans, tam sublimi Sacrificio conficiendo necessariam: seque circumstantium orationibus commendat, ut suum communeque fidelis populi sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem.

Q. 6. *Quid involvit quarta pars, quam* Consecrationem *appellavimus?*

℟. Orationem *secretam*, in quam *oblatio* desinit, concludit Sacerdos *præfatione*, quâ populum monet, ut *sursum corda* ad Deum habeant, *gratiasque agant* omnipotenti Creatori *per Jesum Christum Dominum nostrum*. Tùm prosequens orat, ut sua omniumque fidelium voces conjungi mereantur Angelicis Laudibus, quibus indesinenter proclamant, (*b*) *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus* (*c*) *Sabaoth*.

(*a*) Matth. 5. ℣. 23. (*b*) Isai. 6. ℣. 3.
(*c*) Id est, *Exercituum*.

Sic igitur comparati, animis suprà terrena omnia sublatis, & unà cum cœlestium spirituum agminibus Omnipotentis Dei Majestatem adorantes, summâ reverentiâ expectamus unicum ejus Filium, ad verba Sacerdotis, Spiritûs Sancti virtute mox in Altare descensurum.

Sacerdos interim secretò recitat eas preces, quæ CANON dicuntur, id est Regula Eucharistiæ consecrandæ; quæque, quodcumque celebretur officium, numquam mutantur. Is autem *Canon* orationibus continetur omninò quinque.

Primâ Sacerdos orat (*a*) pro universa Ecclesia, ac nominatim pro summo Pontifice, & Episcopo proprio: pro iis deinde quos speciatim commemorare libet, omnibusque circumstantibus. Mox in Spiritu *Communionis Sanctorum* memoriam recolit; B. Virginis Mariæ, Apostolorum Sanctorumque aliquot Martyrum, quorum nos precibus postulat adjuvari

Secundam orationem recitans, (*b*) manus extensas tenet super *oblata*, postulans ut oblationem nostram Deus placatus accipiens, jubeat ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum suorum grege numerari.

Tertiam orationem recitans, (*c*) Eucharistiæ narrat institutionem eamque ipsis Christi verbis *consecrat*, statimque Christum præsentem adorat ac populo adorandum exhibet. Orationem hanc tertiam prosequens, offert Deo in Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Filii sui memoriam, panem vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ; nempe Jesu Christi Corpus & Sanguinem, orans ut Sacrificium, quod ex parte rei oblatæ non potest illi non esse acceptissimum, etiam ex par-

(*a*) Te igitur. (*b*) Hanc igitur.
(*c*) Quam oblacionem.

te offerentis acceptum habeat, ficuti accepta habere dignatus eft munera Abel, Abrahæ & Melchifedechi, hujus figuras: & quicumque ejus participes fuerint, benedictione cœlefti & gratiâ repleantur.

Oratione *quartâ* (a) defunctos fideles Deo facerdos commendat: tum privatim quos placet, tum omnes univerfim.

Quintâ Denique oratione (b) complures iterum Sanctos Sacerdos commemorat, & percuffo pectore poftulat, ut nobis quoque peccatoribus Deus partem aliquam & focietatem cum Sanctis fuis, non noftris meritis, fed fuâ mifericordiâ donare dignetur. Demùm Sacram Hoftiam fuper calicem attollit, Sanctiffimamque Trinitatem venerans, omnem illi honorem & gloriam deberi profitetur.

Q. 7. *Quid quinta Miſſæ pars*, Communio, *complectitur*?

℟. Incipit illa ab *Oratione Dominica*, quâ inter cetera etiam panis quotidianus & fuper fubftantialis poftulatur, panis ille verus, qui de cœlo defcendit.

Deinde Sacerdos hoftiam trifariam dividit, Chriftum imitatus, qui panem cùm confecravit, *fregit*, quo factum eft ut ab initio hoc Sacrificium nomine (c) *fractionis panis* fæpè appellaretur. Unam ex his particulis Sacerdos immittit in calicem, ut ex preffiùs defignetur, unum effe Corporis & Sanguinis Chrifti Sacramentum.

Poft hæc *pax* poftulatur, id eft, concordia charitafque perfecta, quâ inftructi fideles ad Agnum immaculatum dignè accedere poffint, in cujus *pacis* fignum, olim complectebantur

(a) Memento. (b) Nobis quoque.
(c) Actor. 2. ℣. 46. &c.

invicem, hodiè multis in locis instrumentum isti usui destinatum populo osculandum datur.

Aliquot deinceps preces ad Christum in Sacramento præsentem Sacerdos dirigit, postulans ut dignè & utiliter ipsum percipere mereatur. Tum se percusso ter pectore, palàm protestatus indignum, sub utraque specie *communionem* accipit, quam communicaturis fidelibus, ex hodierno Ecclesiæ more sub unicâ panis specie distribuit. Et priscis quidem temporibus, quicumque Sacrificio intererant, etiam participabant oblatione & communione : (*a*) optaretque Ecclesia tantum hodieque esse fidelium zelum atque fervorem, ut more primorum Christianorum reipsâ dignè communicare possent, quoties Sacrificio assistunt : quare *Spiritu* saltem, Sanctisque animi affectibus communicandum est.

Q. 8. *Quid demùm sexta atque ultima Missæ pars* Gratiarum actio ?

℟. Eâ Sacerdos immensæ Dei Majestati gratias agit, suo & fidelium nomine, de inæstimabili dono & munere ipsius largitate percepto, supplicans ut illius sacratissima virtus in nobis perpetuò perseveret. Tum Diaconus populum *dimittit*, eique Sacerdos benedicit, Denique recentiori Ecclesiæ instituto, initium Evangelii S. Joannis in fine recitatur, ut Dominicæ incarnatio- beneficium grato animo, iteratò recolatur.

Hactenùs partes & ceremoniæ Missæ, præcipuè *solennis*, paucis expensæ sunt.

Q. 9. *Quid verò* de Missis privatis *quæ sine Ministris & communicantibus celebrantur*?

℟. Etsi in iis non ita eluceat Sacrificii Majestas, eas tamen jam pridem Ecclesiæ usus ad-

(*a*) Conc. Trid. Sess. 22. cap. 6.

misit, nec minùs Sacrificium verum atque integrum in illis perficitur, quamvis populi nec oblatio nec communio fiat, nec quisquam præter unum ministrantem assistat.

Q. 10. *Quo pacto Sacrificio Missæ fructuosè assistitur?*

℟. Sola corporis præsentia non sufficit, si mens intereà aliò divagetur, rebusque aliis præter Deum intenta sit. Is optimè faciet, qui & doctrinæ in Missa tradendæ itentus erit, & Sacerdotis actioni ac precibus quantam poterit attentionem adhibebit, paremque in omnibus affectum conjunget.

CAPUT IX.

De Sacramento Pœnitentiæ, illiusque Primâ parte Contritione.

QUæstio 1. *Quid nomen Pœnitentiæ generatim hoc loco indicat?*

℟. Dolorem animi de Deo offenso, peccatorumque detestationem quamdam cum vitæ melioris proposito.

Q. 2. *Fuitne quovis tempore iis, qui in mortale crimen lapsi essent, Pœnitentia ad salutem necessaria?*

℟. Fuit prorsus: etenim fieri nequit, ut animus à Deo Opt. Max. per peccatum aversus, criminum suorum veniam consequatur, nisi sincero dolore ad illum misericordiæ fontem convertatur. Quapropter iis etiam, qui in adulta ætate Sacramento Baptismi ablui postulant, indispensabilis necessitas incumbit (*a*) ut perversitate abjectâ & emendatâ, præteritam Dei offensionem, cum peccati odio & pio animi dolore detestentur.

(*a*) Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1.

Q. 3. *Eratne igitur Pœnitentia, Sacramentum ante Christi adventum, vel est hodie iis qui nondum sunt Baptizati?*

℟. Et istis erat, & his est hodiè virtus, non Sacramentum. Etenim *Jesus Christus* ex abundantia benignitatis suæ pœnitentiam voluit esse Novæ Legis Sacramentum, quo post Baptismum lapsis beneficium mortis ejus denuò applicaretur, (*a*) quod tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: (*b*) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, & NOVATIANOS remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica tamquam Hæreticos explosit atque condemnavit.

Q. 4. *Quænam inter Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta diversitas est?*

℟. Sanè multiplex; nam præterquam quòd materia & forma plane diversa sunt, *Baptismus* insuper semel susceptus, repeti non potest, potest *Pœnitentia.* Deinde in Sacramento Baptismi nullum judicium exercetur, exercetur in Sacramento Pœnitentiæ: siquidem se tamquam reos ad Sacerdotis tribunal sistere debent, qui post Baptismum lapsi sunt (*c*) Alius est præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus illo efficimur creatura, plenam & integram pec-

(*a*) Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. (*b*) Joan. 20. ℣. 22.
(*c*) Conc. Trid. Sess. 14. c. 2.

catorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, Divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus; ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit.

Q. 5. *Quis hujus Sacramenti fructus est & effectus?*

℞. (*a*) Reconciliatio cum Deo, quam interdum in viris piis & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax & serenitas cum vehementi spiritûs consolatione consequi solèt.

Q. 6. *Quæ verò forma atque materia, quæ partes?*

℞. (*b*) *Forma*, in quâ præcipuè hujus Sacramenti vis sita est, in illis ministri verbis posita est : *Ego te absolvo, &c.* quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem *quasi materia* hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe *contritio*, *confessio* & *satisfactio*. Qui quatenùs in pœnitente ad Sacramenti integritatem, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem requiruntur hâc ratione *pœnitentiæ partes* dicuntur.

Q. 7. *Quid autem est prima Pœnitentiæ pars* Contritio?

℞. Contritio generatim sumpta, est (*c*) *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Duo itaque involvit, & veteris vitæ odium, & novæ propositum. Nomen autem à *conterendo* accepit, quòd

(*a*) Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. (*b*) Ibid. c. 3.
(*c*) Ibid. c. 4.

hominis animum peccato rigidum, quodammodo emolliat, conterat, atque comminuat.

Cæterùm ut dolor ille ad peccatorum veniam obtinendam hominem disponat, supra naturam esse debet, ex fide & Spiritûs Sancti instinctu proficiscens, conjunctamque habens fiduciam divinæ misericordiæ, cum voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

Q. 8. *Quotuplex est Contritio?*

℟. Duplex: Alia scilicet *Charitate perfecta*, quæ ex vehementi Dei amore, ingentique peccati detestatione procedens, hominem Deo reconciliat priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; tametsi reconciliatio ipsi contrioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non sit adscribenda. Alia *imperfecta*, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, & ATTRITIO dici solet.

Q. 9. *Quid de hac* Attritione *docet Concilium Tridentinum?*

℟. Declarat eam, si cum spe veniæ voluntatem peccandi excludat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; (quod falsò *Lutherus* asseruerat) verùm etiam donum Dei esse & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Enimverò æquum est & salutare ut juxta Evangelii præscriptum (*a*) timeamus eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.

Declarat præterea, quòd etsi hujusmodi attri-

(*a*) Matth. 10. ℣. 28. Luc. 12. ℣. 4.

tio sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam desponat.

Q. 10. *Potestne Contritio imperfecta omnem peccandi voluntatem excludere, & ad percipiendam in Sacramento pœnitentiæ remissionem peccatorum,* PROXIME *disponere, si non adsit aliquod divini amoris initium, quo Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere peccator incipiat?*

℟. Id inter Theologos salvâ fide hucusque disputatur. Sed quod ad praxim attinet, (*a*) vel ob hanc ipsam incertitudinem, non sat magnàm salutis suæ curam gereret, qui dum ad pœnitentiæ Sacramentum accedendum est, ità soli timori ultrò inhæreret, ut ad Deum quem peccando contempsit, super omnia diligendum, modis omnibus non anniteretur.

Q. 11 *Quale debet esse propositum vitæ in melius emendandæ?*

℟. Tale, quod non in nudis verbis, sed in sincera & efficaci voluntate consistat, fugamque occasionum delinquendi secum ferat.

Q. 12. *Quomodo ad Contritionem salutarem annittendum est?*

℟. Contritio salutaris Dei donum est; ab illo igitur humili ferventique oratione postulanda. Illius deinde motiva verâ aç vivâ fide sibi ob oculos ponere unusquisque debet, peccati nempe turpitudinem & atrôcem malitiam: justa Dei tremendaque judicia: immensæ Majestatis offensam: unigeniti Filii Dei pro peccato destruendo probrosissimam mortem: infinitam denique Dei T.

(*a*) Vide Catechismum Illust. D. *Bossuetii* Episcopi Meldensis de Sacram. Pœnit. Lect. 2. & 3.

O. M. benignitatem ac bonitatem, omni amore & obsequio dignissimam.

Porrò cùm vera contritio sit pars pœnitentiæ præ cæteris longè maximè necessaria, totiusque conversionis fundamentum, huic singulari studio incumbere oportet, quoties ad hoc Sacramentum accedendum est.

CAPUT X.

De examine Conscientiæ, ubi de peccatorum distinctione & circumstantiis.

QUæstio 1. *Quare ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum opus est examine conscientiæ?*

℟. Quia de peccatis omnibus mortalibus sincerus animi dolor eliciendus est, omniaque singulatim in Confessione exprimenda sunt, ut absolutionis beneficium percipi possit.

Q. 2. *Quale & quantum esse debet istud conscientiæ examen?*

℟. Pro varia qualitate & conditione personarum, majus esse debet aut minus. Quilibet salutis suæ non omninò incurius, in hoc tamen momenti negotio, tantam saltem diligentiam adhibere sataget, quantam solet in rebus temporalibus majoris momenti, animo revolvens loca, tempora & occasiones, in quibus Deum offendisse, & graviter deliquisse potuit. Inquirendum & in peccatorum radices, ut imposterùm amputentur. Animadvertendæ etiam peccatorum circumstantiæ, quippè quæ peccati gravitatem augere possunt atque minuere.

Ceterùm ut illa sui discussio commodè fiat dum confitendum est, nihil utilius nihilque consultius est, quàm in fine cujusque diei ad examen re-

mini revocare, quidquid eo die, opere, verbo, & cogitatione patratum est. Quæ res id insuper utilitatis habet, quòd à peccando plurimùm retrahat, pravosque habitus sensim emendet.

Q. 3. *Cùm circa (a) peccata examen instituendum sit, quid generatim est* peccatum?

℟. Est legis sive divinæ sive humanæ liberà prævaricatio. Quod cùm graviter fieri possit & leviter, hinc duplex peccatum distinguitur, *mortale* & *veniale*.

Q. 4. *Quodnam peccatum* mortale *dicitur*, *quodnam* veniale?

℟. *Mortale*, sic dictum quòd mortem animæ adferat, vitam ejus quæ in gratia sanctificante consistit, destruens, hominemque reddens divinæ inimicitiæ obnoxium, tunc habetur, cùm divina lex in re gravi animo deliberato violatur, adeò ut morali quadam æstimatione, creatura præferatur Creatori.

Veniale peccatum, sic dictum quòd venia illi facilè concedatur, illud est quod quidem divinæ legi adversum est, sed in re undequaque levi, vel animo non satis deliberato perpetratur. Hoc hominis cum Deo amicitiam ex se non dissolvit; attamen periculosum est, & (b) neglectum ad majora disponit.

Q. 5. *Undè dignosci potest sitne peccatum aliquod* mortale *an* veniale?

℟. Hoc non humano, sed Divino judicio pensandum est. Etenim non rarò contingit, ut peccata quædam, (c) ubi in consuetudinem versa sunt, & plurimis passim frequentantur, exigua vel nulla videantur, quæ tamen justo Dei judi-

(a) Vide de peccatis sat fusè tractantem Catechismum Petri Canisii. (b) Eccli. 19. ℣. 1.
(c) Vide S. Aug. Enchirid. cap. 80.

cio graviſſimè damnantur, & æterno ſupplicio punienda ſunt. Voluit itaque Deus diſcrimen iſtud in multis nos latêre, ut tantò majori curâ & ſtudio peccata omnia vitaremus. Interim ſi quid in re gravi, præcepto cuipiam contrarium animo deliberato perpetretur, non dubitandum eſt, quin ſit peccatum mortale. Idem erit ſi peccato alicui graviſſimam quamdam pœnam æternumve VÆ Sacræ Litteræ interminentur, vel ſi commune Patrum judicium communiſve fidelium ſenſus, peccatum aliquod judicet eſſe grave, & amicitiæ Divinæ contrarium.

Q. 6. *Quænam inter peccata ceteris ſolent eſſe periculoſiora?*

℟. (*a*) Ea quæ cùm ſæpè perpetrentur, plerumque tamen culpabiliter ignorantur, cujuſmodi ſunt peccata OMISSIONIS, quorum ſolicet rei ſimus negligendo ea, quæ muneris noſtri ſunt, ſive ad generales hominis Chriſtiani, ſive ad peculiares ſtatûs noſtri obligationes illa pertineant.

Communis E. G. Chriſtianis omnibus obligatio incumbit, ut in Fidei, Spei, Charitatis, & Orationis exercitiis frequenter ſe exerceant.

Peculiares autem obligationes habent Sacerdotes, Religioſi, Superiores, Maritus, Uxor, Filii familias, famulantes, &c.

Circà utraſque ſolerter excutiendi ſunt conſcientiæ ſinus & latebræ, ut debito cum fructu confeſſio inſtituatur, vitæque tenor in melius emendetur.

Q. 7. *Cùm in peccatorum quoque radices inquirendum ſit, quænam eæ eſſe ſolent?*

℟. Generaliſſima radix eſt, inordinatus ſui amor, qui triplicem concupiſcentiam complecti-

(*a*) Vide Catechiſm. Meldenſ. part. 4. lect. 5.

tur, à qua omne peccatum profluit. Etenim teste Apostolo Joanne, (*a*) *Omne quod est in mundo*, corruptum scilicet ac depravatum, *est concupiscentia carnis*, *concupiscentia oculorum*, *& superbia vitæ*. Id est cupiditas voluptatum divitiarum atque honorum.

Radices etiam peccatorum, ad septem illa reduci possunt, quæ Peccata capitalia vocantur, quòd ex iis ceu capitibus ac fontibus, cetera derivari soleant : sunt autem, Superbia, Avaritia, Luxuria, Gula, Ira, Invidia, Acedia.

Q. 8. *Describe breviter singula.*

℟. 1. *Superbia* est inordinatus appetitus excellentiæ, sive intus lateat in animo, sive extrinsecùs etiam se prodat. Vitium est (*b*) Deo & hominibus exosum, quod etsi vitiorum ferè omnium mater est, & origo, præcipuè tamen infelicem hanc (*c*) sobolem gignit, inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, curiositatem.

2. *Avaritia* est inordinatus divitiarum appetitus : cujus (*d*) propagines sunt, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, immisericordia seu inhumanitas, & cordis durities. Vitium hoc Apostolus (*e*) *radicem omnium malorum* nuncupavit.

3. *Luxuria* est appetitus inordinatus impuræ & libidinosæ voluptatis. Gignit (*f*) autem ex se mentis cæcitatem, inconsiderationem, inconstan-

(*a*) 1. Joan. 2. ℣. 10.
(*b*) Vide Eccli. 10. ℣. 14. 15. 18. & 21. Tob. 4. ℣. 14. Jacob. 4. ℣. 6. 1. Pet. 5. ℣. 5.
(*c*) S. Greg. lib. 31. moral. cap. 32.
(*d*) S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 31.
(*e*) 1. Tim. 6. ℣. 10. Vide etiam Eccli. 19. ℣. 9. & 10.
(*f*) Gregor. ibid. Vide infrà explicationem VI. præcept. Decalogi.

tiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei; immodicum hujus vitæ desiderium, mortis futurique judicii horrorem, ac felicitatis æternæ desperationem.

4. (*a*) *Gula* est intemperans atque inordinatus cibi potûsve appetitus. Illius species sunt *crapula* & *ebrietas*, vitia quibus homo belluis tantò excellentior, iis se abjectiorem, vilioremque spontè constituit: bona dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam demùm ipsam abrumpit. *Gula* filias habet ineptam lætitiam, multiloquium, scurrilitatem, spurcitiem, sensuum & intellectûs hebetudinem.

5. (*b*) *Ira* immoderata cupiditas ulciscendi se de eo, à quo læsum se quis arbitratur. (*c*) Nascuntur ex illa detestandæ filiæ, rixæ, timor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, atquè blasphemia

6. *Invidia* est (*d*) tristitia de bonò alterius, & odium alienæ felicitatis, (*e*) respectu superiorum, quia eis non æquatur: respectu inferiorum, ne sibi æquentur, & respectu parium, quia sibi æquantur. Filias verò procreat, (*f*) odium, susurrationem, detractionem, in adversis aliorum rebus exultationem, in prosperis afflictionem.

7. (*g*) *Acedia* est remissi animi languor atquè tristitia, circa res ad Dei cultum, æternamve salutem pertinentes. Has autem (*h*) gignit filias,

(*a*) Legatur S. Basilius in orat. contra Ebriosos. Et S. Chrysost. contrà Luxum & crapulam.

(*b*) Vide S. Basilium in orat. contra irascent. S. Chrysost. hom. 19. ad pop. (*c*) S. Greg. ibid.

(*d*) Lege orat. S. Basilii de invidia S. Chrysost. hom. 44. ad pop. (*e*) Aug. lib. 2. de gen. ad lit. c. 14.

(*f*) Greg. ut sup.

(*g*) Vide S. Bernard. Serm. 3. & 9. de Ascensione Domini Matth. 20. ℣. 6. & cap. 25. ℣. 30. Apoc. 3. ℣. 16. Matth. 7. ℣. 19. Marc. 13. ℣. 33. (*h*) Gregor. ut suprà.

malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa res præceptas, mentisque circa res illicitas evagationem.

Q. 9. *Numquid in discussione conscientiæ, ad aliena quoquo peccata animus advertendus est?*

℟. Prorsùs; nam variis modis contingere solet, ut quæ aliorum manibus operâve perficiuntur peccata, nobis interim meritò imputentur, nostrasque conscientias damnationis coram Deo reas constituant.

Q. 10. *Quot modis* ALIENA PECCATA *nobis imputari solent?*

℟. Id fieri præsertim solet modis sequentibus.

1. Si quis peccati cujuspiam committendi *mandatum* dederit, etsi alienâ operâ maleficium perpetretur, *mandanti* tamen ante omnes justissimè imputatur.

2. Si crimen *consulat*, modumve quo executioni mandari possit, studiosè præscribat.

3. Si alienis delictis *consensum* præbeat.

4. Si blanditiis & *adulatione* delinquentes foveat, ut minùs agnoscant crimen, quod admiserunt.

5. Si malefactores ad se *recipiat*, eisque opem & tutelam præbeat, quò in suis facinoribus securiùs perseverent.

6. Si de facinorum fructu, sciens prudensque *participet*.

7. Si dictis factisve minùs rectis, *scandalum* & offendiculum ponat proximo, occasionem illi præbens, quâ in crimen aliquod prolabatur.

8. Si, cùm aliorum crimina *obstando* aut *manifestando impedire* possit, id facere negligat.

9. Denique, si proximum, suæ præsertim sollicitudini creditum, quem *corripiendo* emendare posset, corripere negligat.

Q. 11. *Numquid & peccata quædam speciali modo dicuntur committi* ADVERSUS SPIRITUM SANCTUM?

℞. Ità, ea scilicet, quibus oblata Dei munificentia & gratia, quæ Spiritui Sancto, ceu fonti bonorum, tribui peculiariter solet, contemptim abjicitur. Recensentur autem sex sequentia.

1. Divinâ misericordiâ confidentur abuti.

2. De gratia Dei, vel de salute sua prorsus desperare.

3. Veritatem religionis adversùs suam ipsius conscientiam impugnare.

4. Tristi invidiâ concitari ob alienæ salutis, & virtutum fraternarum successum.

5. Obfirmato animo in crimine scienter persistere.

6. Denique cum proposito non pœnitendi, perversæ vitæ finem nullum facere.

Hæc sunt illa crimina, quæ non ex infirmitate, aut ignorantia, sed ex perversæ mentis malignitate & pervicacia proficiscuntur, quibus qui impliciti sunt, (*a*) Dei gratiam aut numquam, aut raro & ægrè admodùm consequuntur.

Q. 12. *Recense similiter ea peccata, quæ ob suam enormitatem, vindictam* IN CŒLUM CLAMARE *dicuntur?*

℞. Ex Sacris Litteris colliguntur hæc quatuor. 1. (*b*) Homicidium voluntarium. 2. (*c*) Peccatum Sodomiticum. 3. (*d*) Oppressio pauperum, Viduarum ac Pupillorum. 4. (*e*) Merces operariorum defraudata.

Q. 13. *Quid jam de peccatorum* circumstantiis *inquirendum est, quando conscientiæ examen instituitur?*

(*a*) Matth. 12. ℣. 32. 1. Joan. 5. ℣. 16.
(*b*) Genes. 4. ℣. 10. (*c*) Ibid. cap. 18. ℣. 20.
(*d*) Exod. 22. ℣. 23. (*e*) Jacob. 5. ℣. 4.

℟. Potissimùm animadvertendum est, *quæ & qualis persona* sit quæ deliquit, in qua dignitate & munere constituta, quibus divinæ misericordiæ donis præventa: *quod & quale crimen* admissum, quæ res ablata, cui personæ contumelia irrogata. &c. *quo loco* facinus perpetratum, sacro an profano, publico an privato: *quæ instrumenta* & media perficiendo crimini adhibita: *quo fine* aut scopo: *quomodo*, violentè, an fraudulenter, &c. Denique *quo tempore*, divino cultui dedicato, an abstinentiæ deputato, &c. Hæ septem circumstantiæ hoc versiculo memoriæ causâ exprimi solent: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

CAPUT XI.

De Confessione.

QUæstio I. *Estne peccatorum confessio ex divino præcepto Sacerdoti facienda ab eo, qui post Baptismum lapsus est?*

℟. (*a*) Est prorsùs illi, qui baptismalem innocentiam letali aliquo crimine perdiderit. Etenim Dominus noster Jesus Christus, ascensurus ad Patrem, Sacerdotes sui Vicarios reliquit, *judicesque* constituit; ut peccata lapsorum aut remitterent aut retinerent: hoc porrò *judicium* sine causæ cognitione exerceri non potest: neque in pœnis injungendis servari potest æquitas, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie ac sigillatim sua ipsi peccata pœnitentes declararent. Hanc autem *confitendi* necessitatem lapsos subire Christus voluit, tùm ut humilientur, tùm ut à Sacerdotibus ceu animarum Medicis, congrua malis suis remedia consequantur.

(*a*) Vide Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5.

Q. 2. *Quænam peccata in Confessione necessariò exprimenda sunt?*

℟. Mortalia omnia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habet pœnitens; etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversùs duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animam graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur.

Q. 3. *Quid verò de peccatis venialibus, quibus à Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur?*

℟. (a) Illa, etsi rectè & utiliter, citràque præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citrà culpam, multisque aliis modis expiari possunt.

Q. 4. *Quid si mortale aliquod peccatum omissum fuerit?*

℟. Si id aut scienter, aut ex gravi examinis defectu contigerit, non tantùm nullus ex Confessione fructus percipitur, sed cetera peccata novo *Sacrilegio* cumulantur, atque hujusmodi confessio, utpotè nullius valoris, postmodùm repetenda est. Quod si per ignorantiam, aut confitendi impossibilitatem id evenerit, satis erit in proxima confessione declarare, quod in hac ab invito fuerit prætermissum.

Q. 5. *Etiamne peccatorum* circumstantiæ *in Confessione recensendæ sunt?*

℟. Circumstantiæ aliæ peccati malitiam minuunt, aliæ adaugent. Inter augentes autem aliæ malitiam superaddunt alterius rationis & speciei, sicut circumstantia rei, personæ aut loci sacri, *furto* & *violentiæ* in ministros Ecclesiæ, adjungit malitiam sacrilegii, aliæ intrà eandem speciem

(a) Conc. Trid. ibid.

adaugent, ut ingens pretium rei, quæ furto aufertur, item injuriæ, detractionis, contumeliæ, &c. enormitas, augent simplicis furti cæterarumque hujusmodi injuriarum malitiam.

Itaque ut peccata integrè judicibus innotescant, ità ut de eorum gravitate rectè censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere, necesse est ut in Confessione illæ circumstantiæ declarentur, quæ peccati *speciem mutant*; quod ob rationis paritatem plerique extendunt ad eas etiam, quæ intrà eandem speciem *notabiliter aggravant*; verbo, peccatum quodlibet quo pacto contigerit, quàm optimâ fide aperiendum est.

Q. 6. *Nonne humanæ infirmitati & verecundiæ, gravis nimiùm est, ista confitendi necessitas?*

℟. Gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Reconciliationem enim cum Deo non potest non consequi conscientiæ pax & serenitas cum vehementi Spiritûs S. consolatione. Stulta porrò est verecundia, quâ quod committere non puduit, pudeat confiteri, uni homini simili sibi peccatori, arctissimâ silentii lege obstricto, ut perpetuò celet, quod hìc vices Dei gerens intellexerit, ita ut nullo unquam prætextu, nulla de causa, directè aut indirectè ulli mortalium id ei liceat revelare.

Q. 7. *Quoties confiteri oportet?*

℟. Præceptum Christi ità ab Ecclesia determinatum est, ut saltem semel in anno ab omnibus & singulis Christi fidelibus, cùm ad annos discretionis pervenerint, impleatur. Ceterum quoties in mortale peccatum quispiam lapsus est, con-

sultissimum planè est, & propemodùm necessarium, ut tam salubre remedium adhibere mox satagat, ne in infelici statu in quem se conjecit, cum tanto suo periculo scienter perseveret. Quin & aliunde crebram peccatorum confessionem suadet plurimùm, magna sæpè difficultas venialia à mortalibus discernendi, fructusque qui ex frequenti confessione percipitur, dum pravi habitus sensim extirpantur, & opportunis remediis à prudenti Sacerdote præscriptis, tentationibus efficaciter obviatur. Quæ causa est cur timoratæ vitæ homines hoc saluberrimum confessionis remedium singulis ut minimùm mensibus adhibere consueverint.

Ceterùm id sedulò curandum est, ne cum iisdem semper defectibus, tametsi levioribus, sine serio dolore, veroque emendationis proposito, ad sacerdotem Christi Vicarium, recurratur. Quædam potiùs, quæ ex iis turpiora & vitatu magis necessaria videbuntur, seligenda, quibus emendandis aut certè minuendis, singularior cura impendatur.

Q. 8. *Quid de* Confessione generali *sentiendum, quâ quis peccata omnia post Baptismum commissa, vel saltem notabilis vitæ partis, Sacerdoti confitetur, etsi adhuc ante fuerint declarata?*

℞. Confessio hujusmodi tempestivè, & ritè facta, admodum utilis, etenim hominem sibi ipsi exhibet, ut in se humilietur sibique vilescat: majorem peccati horrorem ingenerat: novas ad superandas tentationes vires procurat: suavissimam conscientiæ pacem & tranquillitatem adfert: denique quod anteactis Confessionibus aliquando defuit supplet; quo ex capite non rarò potest esse necessaria. Maxime autem opportuna & consulenda est iis, qui novum aliquod

vitæ institutum, ex divina vocatione aggrediuntur. Interim prudentis Confessarii judicio hac in parte quilibet stare debet.

CAPUT XII.

De Absolutione & Satisfactione.

QUæstio 1. *Quis Sacramenti Pœnitentiæ Minister est?*

℟. (a) Fide Catholicâ certum est, non quosvis fideles indifferentur atque promiscuè, sed solos Episcopos & Sacerdotes, institutos à Christo esse hujus Sacramenti ministros; qui etsi mali fuerint & perversi, absolvendi tamen potestatem nullo modo amittunt.

Q. 2. *Omnesne Sacerdotes eam potestatem exercere possunt?*

℟. Omnibus quidem in sua ordinatione ea potestas traditur: sed hæc exerceri non potest nisi in subditos. Necesse est igitur, ut præter *potestatem Ordinis*, habeatur & *jurisdictio*, quam *per se* in suas oves habent *Pastores*, alii verò per Episcopi *delegationem* in hos aut illos Diœceseos fideles.

Q. 3. *Habentne inferiores Sacerdotes potestatem absolvendi à peccatis omnibus quantumvis enormibus?*

℟. Nullum quidem est peccatum adeò nefarium, quod potestate à Christo Ecclesiæ traditâ remitti non possit; verùm ut graviora scelera vehementiùs formidentur, dum Presbyteris absolvendi potestatem communicant Episcopi, certos *casus reservare* solent, quibus absolutio ab ipsismet, aut Presbytero ad eam rem specialiter deputato, qui *Pœnitentiarius* dicitur, petenda sit.

(a) Concil. Trid. Sess. 14. cap. 6.

Sunt & summo Pontifici casus quidam singulariter *reservati*. Ceterùm in mortis discrimine nulla reservatio locum habet, at quivis Presbyter à quibusvis criminibus moribundum, modò pœniteat, absolvere potest, si desit Confessarius qui etiam extra mortis articulum peccatis reservaris absolvere queat.

Q. 4. *Quod Confessarii munus est, & qualis deligendus?*

℟. Cùm partes hìc sustineat & *judicis* & *medici*, prior muneris ejus pars est, ut gravium leviumque delictorum differentias, eorumque causas & effectus perspectas habeat: possitque præterea eos, qui absolutionis beneficio idonei sunt, ab inidoneis internoscere; ut juxta Christi instituentis voluntatem peccata vel remittat vel retineat.

Altera officii ejus pars est, ut congruas singulis pœnas injungat, & opportuna contrà tentationes remedia præscribat, justumque peccati horrorem ingeneret. Qui hâc doctrinâ, prudentiâ & bonitate præditus est Confessarius, in directorem conscientiæ prudenter eligitur. At qui tanti sui muneris aut ignarus, aut incurius est, vitia palpans potiùs quàm emendans, & aliis inutilis, & sibi ipsi noxius est. (*a*) *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Q. 5. *Debetne Sacerdos aliquando negare, aut differre beneficium Absolutionis?*

℟. (*b*) Omninò certum est id aliquando tùm pro sua, tùm pro pœnitentis salute, facere eum debere: nam quemcumque tam malè affectum judicat, ut inutile ipsi foret hoc Sacramentum, hunc absolvere Sacerdos non potest, quin se cum illo damnationi reddat obnoxium. Neganda ita-

(*a*) Math. 15. ℣. 14. (*b*) Vide Rituale Rom.

que aut certè differenda est absolutio iis, qui dogmata ad salutem necessaria ignorant; ut si ne quidem substantiam eorum teneant, quæ in Symbolo & Decalogo continentur: Qui conscientiam discutere neglexerunt. Qui debitâ contritione destituti sunt, sive quòd de peccatis non doleant; aut solius commodi temporalis intuitu moveantur: sive quòd omnem imposterùm peccandi voluntatem non abjecerint Qui non sunt parati aliena, quæ injustè possident, restituere, occasionemve proximam delinquendi fugere. Qui in eadem flagitia sine emendationis spe verisimili identidem relabuntur. Qui inimico parcere & reconciliari renuunt. Denique qui impositam à Sacerdote pœnam quæ rationi & justitiæ consona sit, suscipere & implere detractant.

Q. 6. *Estne necessarium, ut pœnitenti satisfactoriam aliquem pœnam Sacerdos imponat?*

℟. Est utique, nam *satisfactio* tertia bujus Sacramenti pars est, ad illius integritatem ex Christi voluntate necessaria.

Q. 7. *Quâ in re fundatur nostræ satisfactionis necessitas?*

℟. In hoc scilicet, quòd dimissâ culpâ, non semper à Domino universa etiam pœna dimittatur: sed plerumque temporalis pœnæ reatus aliquis perseveret, qui dignâ satisfactione expiandus est. (*a*) Et certè Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò: qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs Sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint: Et Divinam clementiam decet, ne ità nobis

(*a*) Concil. Trid. Sess. 14. cap. 8.

absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ne occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii & (a) contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, (b) thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Q. 8. *Quid satisfactione nostrâ opus est, postquam Christus satisfactionem pro nobis obtulit, cujus immensum est pretium?*

℟. (c) Nostra, sine illa, satisfactio non profuisset, nam quòd vim ullam habeat, & à Patre acceptetur, id totum à Christi satisfactione procedit. Voluit tamen ille nos sibi conformes effici, & ad profectum nostrum atque cautelam dignos Pœnitentiæ fructus facere, quos per Christum offeramus Patri, conjunctos satisfactioni illi, quâ nobis offensam Dei Majestatem propitiavit.

Q. 9. *Quibus præcipuè operibus satisfactio perfici solet?*

℟. Tribus illis, quæ triplici malorum concupiscentiæ opponuntur: *jejunio*, *eleëmosynâ & oratione*; jejunio ceterisque corporis castigationibus frænanda & expianda est carnalis illa voluptas; quæ in illicitis sensuum oblectamentis sita est. Eleëmosynâ purganda est avaritia, & quam progenerat soboles, furtum, rapina, ceteraque omnis iniquitas. Oratione denique domanda superbia est. Ità fit, ut caro subjugetur spiritui, spiritus subdatur Deo.

Q. 10. *Cujusmodi Satisfactio pœnitentibus imponenda est.*

℟. (d) Salutaris atque conveniens pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ità qui-

(a) Hebr. 10. ℣. 29. (b) Rom. 2. ℣. 5.
(c) Vide Exposit. Doctrinæ Cathol. Episcopi Meldens. art. 8.
(d) Concil. Trid. Sess. 14. cap. 8.

dem, ut eos à peccato avocare & coërcere natæ sint, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiant. Alioquin si peccatis fortè conniveant, & indulgentiùs pœnitentibus agant Sacerdotes, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum, docente Concilio Tridentino, participes efficiuntur. Necesse est itaque præ oculis habeant Christi Sacerdotes, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

CAPUT XIII.

De Purgatorio, Indulgentiis & Excommunicatione.

Quæstio 1. *Estne & satisfactioni locus post hanc vitam?*

℟. Quicumque ex hac vita discesserit, amicus quidem Dei, at necdum plenè expiatus, huic quidquid satisfactionis defuerit in hoc seculo, pendendum erint in futuro: subeundo quantùm Divina justitia exigit, eas pœnas, quæ *Purgatoriæ* dici consueverunt, priusquam ad Dei conspectum Beatificum, cœlestemque illam Jerusalem admittatur; etenim (*a*) *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.*

Q. 2. *At nonne viventium pietas adjumento esse potest animabus illis, quæ à Dei conspectu seperatæ in* PURGATORIO *detinentur?*

℟. (*b*) Potest utique, ut constans Ecclesiæ Fides praxisque demonstrant. Etenim omnis retrò antiquitas preces, eleëmosynas & Sacrificia of-

(*a*) Apoc. 21. ℣. 27.
(*b*) Concil. Trident. Sess. 25. de Purgat. Exposit. Doctrin. Cathol. art. 8.

ferre consuevit pro iis, qui in pace & communione Ecclesiæ decesserant, nihil prorsus addubitans quin hisce Fidelium suffragiis juvarentur.

Q. 3. *Quid in* INDULGENTIIS *credendum proposuit Ecclesia?*

℟. (*a*) Potestatem eas conferendi sibi à Christo concessam esse earumque usum Christiano populo esse maximè salutarem

Q. 4. *Qua in re Indulgentiarum usus Christiano populo utilis est ac salutaris?*

℟. Quatenùs eò destinatæ sunt, ut temporalis pœna peccato jam inde remisso debita, homini relaxetur. Subvenit ergo pia Matris Ecclesiæ sollicitudo infirmitati filiorum suorum, qui quidem Divinæ justitiæ per Jesum Christum satisfacere annituntur, sed per imbecilitatem humanæ conditioni propriam, aliquâ in parte deficiunt. Supplet illa quod nobis deest.

Q. 5. *Qua in re fundatur illa* relaxatio?

℟. In satisfactione infinita Jesu Christi Redemptoris nostri, & in abundantia satisfactionum illarum, quas ex influxu Divini capitis sui viva Christi membra Divinæ justitiæ obtulerunt. Et sanè, tam accepta est Deo fraterna charitas Sanctorumque communio, ut per sanctiora Christi membra placatus, voluntariæ afflictionis Sacrificium ab illis clementer acceptet, ut & aliis quoque propitius fiat, præparatasque pœnas indulgeat.

Q. 6. *Penes quos residet concedendarum* Indulgentiarum *potestas?*

℟. Penes eos, quibus Christus solvendi ligandique potestatem largitus, nempe præpositos Ecclesiæ: ità quidem, ut supremus Pontifex eam per universam Ecclesiam exerceat; Episcopi

(*a*) Concil. Trident. Sess. 25. de Indulg.

verò cæte-

verò cæteri per suas quique Diœceses, cum ea restrictione, quam Ecclesia stabilivit, cujus in Concilio Tridentino hæc mens esse declaratur, ut in hisce relaxationibus (*a*) concedendis moderatio, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhibeatur, ne nimiâ facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.

Q. 7. *Quæ dispositio adferenda, ad* Indulgentiarum *effectum consequendum?*

℟. Optima erit, si quis opera pietatis, quæ præscripta sunt, contrito corde, magnaque cum devotione persolvat, confidens de divina per Jesum Christum misericordia, fore ut optatum relaxationis beneficium clementer indulgeat.

Q. 8. *Quid est* Excommunicatio?

℟. Celebriori suo significatu nomen illud designat terribilem illam pœnam, quâ qui in criminibus *contumaces*, Ecclesiæve rebelles sunt; ab illius *unitate* velut membra putrida resecantur. Itaque si quis & *excommunicatus* & publicè *Denunciatus* fuerit, pro infideli habetur, omneque cum illo, donec resipiscat, commercium, præter necessarios quosdam casus, Christianis omnibus interdicitur.

Q. 9. *Quod est fundamentum Substratum omnibus, quæ hoc capite dicta sunt?*

℟. *Sanctorum communio*, quam in Symbolo profitemur; ex hac nempe profluit, ut fideles omnes velut ejusdem corporis membra, mutuam inter se unionem, bonorumque participationem habeant, adeò ut & viventes suffragiis suis prodesse possint defunctis, & vicissim Sanctorum meritis ac satisfactionibus abjuventur, & denique nihil ita formidandum sit, quàm ob criminis contumaciam, ab illius corporis compage, ceu inutile membrum resecari.

(*a*) Conc. Trid. Sess. 25. de Indulg.

CAPUT XIV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUæstio 1. *Quid Extremæ Unctionis nomine intelligitur?*

℟. Sacramentum Novæ Legis, quo dum infirmi unguntur exteriùs, ad leviùs ferendas morbi molestias mortisque angustias; vel ipsam quoque sanitatem corporis, si saluti animæ expediat, recuperandam.

Q. 2. *Quomodo probatur, hoc verum esse Novæ Legis Sacramentum?*

℟. (*a*) Constat id & ex perpetuâ traditione Ecclesiæ, & ex aperto *S. Jacobi* testimonio, sic scribentis cap. 5. (*b*) *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum, oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis hujus Sacramenti materiam, formam, ministrum & effectum apertè declarat.

Q. 3. *Quænam est igitur hujus Sacramenti* materia?

℟. *Oleum ab Episcopo benedictum*, quod ex se aptum est ad significandam hilaritatem animi, interioremque roborationem, quæ hujus Sacramenti virtute ab ægroto percipitur.

Q. 4. *Quænam vero* forma?

℟. Oratio, quæ dum membra corporis inunguntur à Sacerdote recitatur. Inunguntur autem ea potissimùm membra, quæ solent peccato præ cæteris deservire: oculi, os, aures, nares, ma-

(*a*) Vide Concil. Trid. Sess. 14. de Extrem. Unct. cap. 1.
(*b*) Jac. 5. ✝. 14.

nus, pedesque, dicente Presbytero : *Per istam Sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, &c. deliquisti.*

Q. 5. *Quis* Minister?

℟. (*a*) Apertè indicat *Jacobus* esse Presbyteros *Ecclesiæ*; ac olim plures, nunc verò in Ecclesia Latina Sacerdos unicus adhibetur : qui quidem juxta Ecclesiasticas Regulas proprius infirmi Pastor esse debet, vel alius Presbyter ab illo specialiter delegatus.

Q. 6. *Quibus hoc Sacramentum administrari debet?*

℟. Ecclesiæ mos est, ut non nisi in gravibus & periculosis infirmitatibus sacra isthæc unctio celebretur, neque aliis conferatur quàm qui post Baptismum rationis usum consecuti, personali voluntate delinquere potuerunt.

Non est tamen Ecclesiæ mens, ut extrema expectentur, priusquam hoc Sacramentum suscipiatur; sed ut hujus Sacramenti fructus pleniùs percipiatur, quoad fieri potest, vigente rationis ac sensuum usu, Sacra hæc Unctio impertienda est.

Q. 7. *Potestne hoc Sacramentum iterari?*

℟. Potest utique in diversis infirmitatibus; sed durante eodem morbi statu, etsi diuturnior fuerit, non repetitur.

Q. 8. *Quis hujus Sacramenti fructus est?*

℟. (*b*) Ex memoratis *Jacobi* Apostoli verbis colliguntur sequentes. 1. Confert ad *remissionem peccatorum*, quæ quidem ab ægroto pœnitentiæ remediis nondum penitùs sunt expurgata, ut decumbentis anima peccatorum suorum onere ac morbo inprimis levetur.

(*a*) Concil. Trid. ibid. cap. 3. (*b*) Ibid. cap. 2.

2. Ad *consolationem* & *fiduciam* subministrandam plurimùm valet, quâ sanè in supremò illo agone exituque animæ opus est maximè, quando & cum doloribus acerbissimis, & cum formidabili hoste diabolo, gravissimum instat certamen.

3. Prodest ad corporalem infirmitatem vel depellendam vel alleviandam, quatenùs saluti animæ Deus noverit expedire.

Hi sunt fructus illi, quos per Apostolum suum promisit Deus, in iis verbis: (a) *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Q. 9. *Quæ porrò* dispositio *adferenda est, ut memorati fructus percipiantur?*

R. Cùm *Extrema Unctio* sit *pœnitentiæ* quædam consummatio, anniti imprimis oportet, ut corde contrito & humiliato suscipiatur, præmisso, quantùm possibile est, pœnitentiæ Sacramento. Adsit deinde firmissima in Dei omnipotentis bonitate *fiducia*, nixa meritis morientis in cruce Redemptoris Postremò plenissima propriæ voluntatis abdicatio, ità ut promtus sit animus, sive advivendum, sive ad moriendum, id unum expetens, ut gratum Deo vitæ suæ sacrificium liceat offerre.

CAPUT XV.

De Ordine generatim, Irregularitate & Vocatione ad statum Ecclesiasticum.

DE Sacramento Ordinis paulò prolixiùs dicendum erit, tùm quia multi eorum, qui hæc lecturi sunt, ad statum Ecclesiasticum destinantur, tùm quia id ceteris utile esse poterit, ut eâ quâ par est veneratione Ministros Ecclesiæ prosequantur.

(a) Jac. 5 ℣. 15.

Q. 1. *Quid est* ORDO?

℟. Est Novæ Legis Sacramentum, quo spiritualis potestas & gratia confertur: ad Ecclesiastica munia, quæ ad Dei cultum salutemque animarum pertinent, ritè obeunda. Potestatis hujus plenitudo in Novæ Legis Sacerdotio continetur.

Q. 2. *Estne igitur & in Nova Lege visibile aliquod externumque* SACERDOTIUM?

℟. Est utique: nam ut ait Concilium Tridentinum (*a*) Sacrificium & Sacerdotium, ità Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in Novo Testamento, sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile, ex Domini institutione, Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse, visibile & externum Sacerdotum, in quod vetus translatum est.

Q. 3. *Sed estne Sacerdotium hoc à Domino Salvatore nostro institutum?*

℟. Est procul dubio, ut Sacræ Literæ (*b*) ostendant, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. Perpetuus scilicet Ecclesiæ sensus fuit, Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, potestatem à Christo traditam fuisse consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi & retinendi.

Q. 4. *Suntne in Sacerdotii ministerio plures ordines?*

℟. Septem jam pridem recenseri solent, quorum tres *Majores* ac *sacri*, cæteri quatuor *minores* dici consueverunt. *Majores* Ordines sunt Sacerdotum, Diaconorum & Subdiaconorum. *Mi-*

(*a*) Conc. Trid. Seff. 23. cap. 1.
(*b*) Luc. 22. ℣. 19. Joan. 20. ℣. 22. Hebr. 7. ℣. 12.

nores sunt Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum.

Q. 5. *Quæ hujus pluralitatis ratio?*

℟. (*a*) Cùm divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quò digniùs & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ità distributi, ut qui *Clericali tonsura* insigniti essent, per *minores* ad *majores* ascenderent.

Q. 6. *Unde constat* ordinem *esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis?*

℟. (*b*) Ex eo quòd Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri. Dicit enim Apostolus, scribens ad Timotheum: (*c*) *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Et rursùs: (*d*) *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri.*

Q. 6. *Nonne omnes Fideles ex æquo sunt Sacerdotes Novi Testamenti?*

℟. (*e*) Intelligendo de Sacerdotio externo atque visibili, de quo hic agitur, certissimum est non esse Sacerdotes nisi illos, qui per legitimam Episcoporum ordinationem, potestatem adepti sunt ea munia obeundi. At si de interiori & mystico quodam Sacerdotio agatur, sic omnes Fideles dici possunt, & interdùm in Sacris Literis dicuntur Sacerdotes, quatenùs in altari cordis sui

(*a*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. (*b*) Ibid. c. 3.
(*c*) 2. Tim. 1. ℣. 6. (*d*) 1. Tim. 4. ℣. 14.
(*e*) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.

spirituales Deo hostias, laudis & gratiarum actionis, indies debent immolare.

Q. 7. *Quis hujus Sacramenti Minister est?*

℟. (a) Ecclesiæ ministros ordinare proprium Episcoporum munus est : ità ut omnes qui tantummodò à populo, aut sæculari potestate ac magistratu vocati & instituti ad hoc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, non Ecclesiæ ministri, sed (b) *fures* sint & *latrones*, non ad pascendum, sed ad mactandum idonei.

Q. 8. *Omnesne suscipiendorum Ordinum sunt capaces?*

℟. Nullo modo : sunt enim multi impedimento alicui obnoxii, propter quod per *Sacros Canones*, id est, Ecclesiasticas Regulas, ab iis suscipiendis arcentur. Ii *Irregulares* dicuntur & impedimentum quod id efficit, *irregularitas*.

Q. 9. *Recense impedimenta præcipua, quæ per Sacros Canones* Irregularitatem *inducunt*.

℟. Alia *ex defectu*, alia *ex culpa* proveniunt. *Ex defectu irregulares* sunt, amentes : corpore nimiùm deformes, aut mutilati : illegitimi : debitis, reddendisve rationibus obnoxii, quamdiu hâc obligatione non sunt defuncti : Bigami, id est, qui secundas nuptias inierunt, vel ab initio viduam duxerunt : denique qui ad humani sanguinis effusionem aliquando coöperati sunt.

Ex culpa irregulares sunt, homicidæ voluntarii : Hæretici : infames, sive professione, ut comœdi ; sive crimine, ut simoniaci & blasphemi ; sive sententiâ judicis : qui contra Canonum statuta Sacros Ordines aut susceperunt, aut administrârunt : qui suâ sponte rebaptizatus est : qui Censuram Ecclesiasticam violavit.

(a) Joan. 10. ℣. 8.

Q. 10. *Omnesne, qui ab impedimentis illis immunes sunt, ad Statum Ecclesiasticum, sacrosque Ordines ritè adspirant?*

R. Nullo modo: in eo enim qui futurus sit minister Ecclesiæ, multæ dotes requiruntur, ac præcipuè zelus divinæ gloriæ, salutisque animarum, ingens castitatis amor, humilis docilitas, scientia ac prudentia, atque ante omnia indispensabiliter necessaria est divina *vocatio*, ut Sacræ Litteræ (*a*) & universa Traditio frequenter inculcant.

Q. 11. *Quibus verò indiciis* vocatio *ista dignoscitur, cùm hodiè visibilis esse non soleat?*

R. Si quis ab irregularitate immunis, vitæque innocenter actæ sibi conscius ad statum Ecclesiasticum non parentum impulsu, sed suâ sponte feratur, idque non ut sectetur lucrum & quæstum, neque ut honores ambiat, sed ut supremi Numinis gloriæ, proximique saluti deserviat; hic si Deum ferventer ac perseveranter oraverit, atque in consilium deindè adhibuerit viros & pios & prudentes, & quorum nihil interest quod vitæ genus iste potissimùm amplectatur, meritò statuet propensionem illam suam, quâ ad statum Ecclesiasticum impellitur, à divina vocatione promanare.

CAPUT XVI.

De Tonsura, Beneficiis Ecclesiasticis & Simonia.

QUæstio 1. *Quid est* TONSURA?

R. Est sacra cæremonia, quâ qui insignitur, *Clericorum* numero adscribitur, ad sacros ordines præparatur, & ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica idoneus constituitur.

(*a*) Hebr. 5. ℣. 4. Marc. 3. ℣. 13. Num. 16. &c.

Dicta est à *tondendo*, quia coma capitis tondetur: ad significandum, quòd depositis vanarum rerum curis superfluis, Divino servitio mancipari debeat, qui statui Ecclesiastico adscribitur, & inter *Clericos* numeratur. Hinc dum capillos scindit Episcopus, hæc verba Psalmi pronuntiat tonsurandus: (*a*) *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi.*

Q. 2. *Quo ergo animo suscipienda Tonsura est?*

℞. Animo utique perseveranter amplectendi statum Ecclesiasticum, majorique quàm ante hac sollicitudine Deo serviendi; accuratiùs certè quàm vulgus Laïcorum soleat. Necesse etiam est, ut adsit propositum efficax ità studiis incumbendi, ut ad Ecclesiastica munia salubriter obeunda, idoneus aliquando evadere possit.

Statuit autem (*b*) Concilium Tridentinum, ut primâ Tonsurâ non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint; & de quibus probabilis conjectura non sit eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Q. 3. *Qui sunt Tonsuræ effectus & prærogativæ?*

℞. Primò quidem Tonsura ad suscipiendos ritè Ordines præparat. Secundò, id efficit, ut qui eâ initiati sunt, Clericorum numero adscribantur, eorumque privilegiis & immunitatibùs gaudeant si modò Clericali habitu & Tonsurâ utantur. Tertiò id quoque præstat, ut qui *tonsurati* sunt, Ecclesiastica Beneficia obtinere & possidere possint.

Q. 4. *Quid* Beneficii Ecclesiatici *nomine hic intelligitur?*

(*a*) Psalm. 15. ℣. 5.
(*b*) Concil. Trid. Sess. 23. Ref. cap. 4.

℟. Jus perpetuum exercendi functionem aliquam Ecclesiasticam, annexum habens jus percipiendi certam portionem bonorum Ecclesiæ, ad sustentationem possidentis.

Duplicem igitur facultatem complectitur *Beneficium* Ecclesiasticum : alteram obeundi munia quædam sacra, quæ diversis *beneficiis* diversa annexa sunt; alteram percipiendi de bonis Ecclesiæ eam portionem, quæ isti Beneficio fuerit constituta.

Q. 5. *Quid præexigitur in eo, qui* Beneficium *Ecclesiasticum sit accepturus?*

℟. Primò quidem necesse est, Tonsuram antè susceperit, ut jam sit in numero *Clericorum*.

Secundò, ut adsint mores CLERICO digni, id est decentes eum, qui in *sortem* Domini vocatus, divinoque servitio mancipatus est.

Tertiò, ut sit ætate ac scientiâ idoneus implendis muniis, quæ Beneficium secum trahit.

Cæterùm quisquis eo animo Beneficium quodpiam accipit ut, ubi aliquamdiu proventus ejus perceperit, illud à se abdicet, atque ad secularia vota revertatur, contra Ecclesiæ mentem, Beneficii fructus iniquè usurpat.

Q. 6. *Quibus obligationibus adstricti sunt, qui Beneficium Ecclesiasticum consecuti sunt?*

℟. Prima est, ut fideliter exequantur annexas Beneficio functiones conditionesque ac onera sibi imposita bonâ fide persolvant.

Secunda, ut sanctè ac religiosè impendant annexos Beneficio proventus, ità nempè ut quidquid ex iis honestæ sustentioni superfluit, in usus pauperum Ecclesiarumve necessitates expendatur.

Tertia, ut exactè, attentè, ac devotè quotidianum *Divinii Officii* pensum cum aliis publicè decantent, aut saltem privatim recitent.

Q. 7. *Quænam verò est obligatio eorum qui* eligendo, conferendo, *aut* præsentando, *de beneficio vacante disponunt?*

℟. Cavere eos oportet maximè, ne vel indignum vel inidoneum suo suffragio quovis pacto promoveant, sed præterea curandum illis est sedulò, ut minimè indulgentes privato affectui, id unicè expendant, quis ad Dei gloriam, salutem animarum, splendoremque Ecclesiæ futurus sit utilior, ut huic beneficium conferatur.

Q. 8. *Quodnam in collatione & acquisitione Beneficiorum vitium est maximè detestandum?*

℟. *Simonia*, sic dicta à *Simone Mago*, qui potestatem impertiendi visibilia Spiritûs Sancti bona, ut Apostoli faciebant, ab illis pretio comparare voluit: at hoc unum à *Petro* responsum tulit; (*a*) *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.*

Q. 9. *Quid ergo generatim est* Simonia?

℟. Nihil aliud, quàm deliberata voluntas emendi aut vendendi, vel quovis modo in pactionem non gratuitam adducendi, ea quæ nullo pretio æstimari possunt, res scilicet ad Religionem, Deique cultum pertinentes.

Simonia itaque, & gravissimum crimen est, ad beneficia Ecclesiastica dato pretio pertingere, acceptove pretio conferre; quodque sic acceptum fuerit pretium nullo modo retineri potest, nec tamen reddi debet, sed necesse est ut in pias causas expendatur.

Q. 10. *Quænam contrà* Simoniæ *crimen* Pœnæ *statutæ sunt?*

℟. 1. Excommunicatio major, quæ *ipso facto* incurritur, & summo Pontifici reservata est, si

(*a*) Act. 8, ℣. 20.

simonia fuerit *publica*, Episcopo autem, si fuerit dumtaxat *occulta*.

2. Beneficii per *simoniam* usurpati privatio, cum inhabilitate ad ullum aliud obtinendum.

3. *Infamis* redditur qui hoc flagitio maculatus est, & ex eo capite efficitur *irregularis*.

Q. 11. *Quid si cui inscio à parentibus aut aliis per simoniacam largitionem beneficium fuerit procuratum?*

℟. Mox ubi id ille resciverit, beneficium abdicare debet, alioquin pœnas criminis incursurus: nisi tamen ob magnam Ecclesiæ necessitatem aut utilitatem legitima superiorum potestas, generalem istam legem in hoc eventu peculiari judicaverit relaxandam.

Ceterùm infelices illi parentes, qui per munera, largitiones & pactiones filios suos ineptos sæpè atque indignos, ad sacratissima munia protrudunt, familiam suam quam stabilire volunt, plerumque evertunt, dum divinæ maledictioni atque vindictæ eam reddunt obnoxiam.

Q. 12. *Quid* CONFIDENTIÆ *nomen hoc loco innuit?*

℟. Significat simoniæ speciem, quæ duobus præcipuè modis admittitur: 1. quidem, quando quis alteri *beneficium* impertitur, eo fine ac pacto, ut postquam certo tempore possederit, id in istius nepotem aliquem aut amicum transferat. 2. Dum quis alteri beneficium impetrat, sed eâ lege, ut servato sibi beneficii titulo ac functionibus, proventus ejus, vel eorum partem permittat impetranti.

Hanc quoque labem infamis commercii, execratur Ecclesia, & generalibus simoniæ pœnis subdidit.

CAPUT XVII.

De Ordinibus Minoribus & Subdiaconatu.

QUæstio 1. *Quot sunt* minores *ordines, & quodnam eorum est à* majoribus *discrimen?*

℞. *Minores* ordines recensentur quatuor, ordo scilicet Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, & Acolythorum.

Differunt à *Majoribus*, quod hi ad Divina mysteria propiùs accedant, majoresque secum trahant obligationes, unde & *Sacri* singulariter nominantur.

Q. 2. *Quodnam* Ostiariorum *munus est?*

℞. Ex veteri Ecclesiæ usu *Ostiariorum* munus est claves januasque Ecclesiæ custodire : ab ingressu quoque indignos arcere, & sacrarii curam gerere.

Q. 3. *Quodnam autem* Lectorum?

℞. Munus eorum est Veteris & Novi Testamenti libros ad communem Fidelium instructionem in Ecclesia recitare. Ad ipsos quoque pertinet teneros puerorum animos primis fidei rudimentis imbuere, & ad pleniorem instructionem præparare.

Q. 4. *Quodnam* Exorcistarum?

℞. Horum officium (quod olim etiam exercebant) est, ut invocatâ divini nominis potentiâ, immundos spiritus adjurent, ut energumenorum corpora infestare desinant, ac derelinquant.

Verùm id muneris Sacerdotibus hodiè reservatum est, qui nec ipsi tamen nisi cum speciali Episcopi facultate id sinuntur exercere, ob multarum fraudum illusionumque pericula.

Q. 5. *Quæ* Acolytorum *functiones?*

℞. Ut luminaria accendant & deferant vinum

& aquam pro Sacrificio, atque etiam incensum præparent : ac universum ut in missa Subdiacono ministerium præbeant.

Quas quidem minorum Ordinum functiones in usum revocari magnoperè desiderabat Synodus Tridentina (*a*) decrevitque ut ejusmodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur.

Q. 5. *Quid exigit Concilium Tridentinum* (*b*) *ab iis, qui minores Ordines suscepturi sunt, aut jam susceperunt?*

℟. 1. Ut linguam latinam utcumque jam noverint, ita quidem ut cùm hinc ad altiores gradùs & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.

2. Ut singulorum ordinum istorum vim & officia perspecta habeant, ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt Ecclesia, nisi fortè ex causa studiorum absint.

3. Ut in eis cum ætate, vitæ meritum & doctrina major accrescat : quod & bonorum operum exemplum & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros & superiores ordines reverentiam, & crebrior quàm anteà Corporis Christi communio maximè comprobabunt.

Q. 7. *Quid est Ordo* SUBDIACONORUM?

℟. Est Ordo eorum, qui destinati sunt ut in solemni Missæ officio Epistolam publicè recitent, & in reliquis liturgiæ partibus unà cum Diacono ministerium exhibeant Sacerdoti.

Q. 8. *Quænam pro* Subdiaconatu *ritè suscipien-*

(*a*) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 17. Ref.
(*b*) Ibid. eàdem cap. 11.

do juxtà Ecclesiasticas constitutiones prærequiruntur?

℟. (*a*) 1. Ut saltem vigesimum secundum ætatis annum attigerit, & uno saltem anno in minoribus Ordinibus sedulò fuerit versatus.

2. Ut probitate & scientia sufficienter instructus sit, (*b*) atque ex anteacta vita meritò confidat Deo auctore se continere posse, & in perpetua castitate vitam transigere.

3. (*c*) Ut si sit Clericus secularis, vel ex Beneficio Ecclesiastico vel ex patrimonio aut pensione, reipsâ possideat quod satis sit ad vitam honestè sustentandam, ne cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquam quæstum exercere cogatur; quâ de re necesse est, ut plenam Episcopo fidem faciat, remotâ omni fraude & dolo, pœnas alioquin gravissimas incursurus.

Q. 9. *Quænam contrahuntur obligationes, cum susceptione Subdiaconatûs?*

℟. Potissimùm duæ. 1. Est obligatio *perpetuæ continentiæ* & cœlibatûs, ità ut deinceps ad ineundas nuptias inhabiles fiant. (*d*) Hic constans semper fuit Ecclesiæ præsertim occidentalis usus, ut qui *sacro* Ordine initiati essent, ad continentiam obligarentur; quod quidem idcircò institutum est ut à curis sæcularibus liberi, menteque & corpore expediti, divino servitio totos se dederent, qui ad Sancta Sanctorum propiùs accedunt.

2. Est obligatio recitandi indies integrum *Horarum Canonicarum* Officium, cum eâ exactitu-

(*a*) Conc. Trid. ibid. c. 11. & 12. (*b*) Ibid. c. 13.

(*c*) Ibid. Sess. 21. Ref. cap. 2.

(*d*) Concil. Eliber. Can. 33. circà an. 305. Conc. Carthag. 2. Can. 2. circà an. 397. Conc. Arelat. 2. Can. 2. & 3. &c. S. Hieron lib. 1. contra Jovinian. S. Leo Magnus Epist. 82. c. 3. & 4. ad Anastasium, &c.

dine, attentione ac devotione, quam exigit sublime illud munus cujusdam veluti mediatoris Deum inter & populum constituti. Dum nempe cætera multitudo tumultuariis civilis vitæ muniis occupatur, hi feliciori sorte donati, id sibi muneris impositum habent, ut totius propuli nomine ante thronum Dei preces, laudesque jugiter perferant.

CAPUT XVIII.

De Diaconatu, Presbyteratu & Episcopatu.

Quæstio 1. *Quid est* Diaconatus?

℟. Est Ordo eorum, qui ut in Altaris ministerio Sacerdoti proximè deserviant, & Evangelium in missa solemniter recitent, destinati sunt.

Q. 2. *Estne Sacramentum?*

℟. Quòd sit Sacramentum, id colligitur ex sexto capite Actorum Apostolorum, ubi septem primi Diaconi viri ad hoc singulariter selecti & pleni Spiritu Sancto, cum oratione & impositione manuum ab Apostolis ordinati sunt, partim quidem, ut ministerio facultatum, & eleëmosynarum distributioni præessent, at verò etiam, ut in Ecclesiastica Liturgia Sacerdotibus ministrarent, variasque in ea functiones obirent.

Q. 3. *Quæ sunt virtutes Diaconis propriæ?*

℟. Easdem ferè pro iis Apostolus (*a*) exigit, quas pro Presbyteris atque Episcopis. Interim singulariter in iis commendatur virtus Christianæ *fortitudinis*, à qua tres Sancti Diaconi, qui pro divini nominis gloria atrocissima quævis supplicia generosissimè subierunt, in Ecclesia celebra-

(*a*) 1. Tim. 3.

tissimi

tissimi sunt, videlicet *S. Stephanus* Protomartyr, unus è septem primis quos ipsi Apostoli ordinarunt, Diaconis : *S. Laurentius* Diaconus S. Sixti II. Pontificis Romani : qui in persecutione *Valeriani* ignitâ craticula tostus est : & *S. Vincentius*, qui Valentiæ in Hispania sub persecutione *Diocletiani*, per Dacianum Præsidem passus est, quidquid atrocissima barbaries excogitare potuit.

Q. 4. *Quid est* Presbyteratus?

℟. Est Novæ Legis Sacramentum, quo potestas traditur consecrandi atque offerendi Corporis & Sanguinis Domini, ac prætereà remittendi ac retinendi peccata.

Q. 5. *Quodnam discrimen est* PRESBYTERUM *inter &* EPISCOPUM?

℟. Jure Divino Episcopus tum potestate Ordinis, tum jurisdictione, est superior Presbytero. Potestate *Ordinis*, nam administrat Sacramenta Ordinis & Confirmationis, circa quæ Presbyter nihil potest ; *Jurisdictione* autem, nam hanc propriam & ordinariam habet per totam Diœcesim. Presbyter verò vel Vicariam tantùm habet ac delegatam, vel ordinariam, sed tantùm in Dœceseos quadam parte. Est itaque Episcopatus Sacerdotii apex & complementum.

Q. 6. *Numquid & inter Episcopos jurisdictionis quidam ordo stabilitus est?*

℟. Est omninò, Episcopi quippè subsunt Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, Patriarchæ & universim omnes fideles Pontifici Romano, Jesu Christi visibili in terris Vicario, cui omnes Christiani honorem debent, obedientiam atque subjectionem, ut in unitate Corporis Christi perseverent.

Q. 7. *Quis Sacramenti Ordinis* EFFECTUS *est*?

℟. Præter gratiæ ſanctificantis augmentum, variaque pro munere ritè ſanctèque obeundo ſuo tempore conferenda auxilia. *Characterem* inſuper imprimit animæ indelebilem, quo fit ut qui ſemel ab Epiſcopo Sacerdos legitimè ordinatus eſt, Eſſentialem conſecrandæ Euchariſtiæ, remittendorumque peccatorum poteſtatem nullo unquam tempore, ne graviſſimis quidem criminibus amittere poſſit?

Q. 8. *Quid indè conſequitur?*

℟. Hæc duo ſpontè ſequuntur. Primum quidem, cùm Sacerdotibus talis tantaque poteſtas conferatur, quæ ipſis etiam Angelis obſtupeſcenda ſit, ut nempè dum panem vinumque conſecerant, Filius Dei, generis humani conditor ac redemptor, (*a*) *Obediens voci hominis* in altari præbeat ſe præſentem, utque dum homini verè pœnitenti paccata condonant in terris, deleantur & in cœlis; conſequens eſt, ut tremendum viventis Dei judicium incurrant, qui vel nullâ vocatione ſe in tantam dignitatem temerè audacterque ingerunt, vel tanti miniſterii ſanctitatem depravatâ vitâ commaculant, cum puſillorum ſcandalo, multorumque ſubverſione.

Alterum eſt, quòd cùm ea dignitatis prærogativa à Sacerdotibus auferri non poſſit, eam fideles in illis ſuſcipere ac venerari debeant, etſi contingeret ut ſuis criminibus eâ redderentur indigni. Luctuoſa quidem ea res eſt, quam ut avertat Deus, à Chriſtianis diligenter orandus eſt; verumtamen ſi id juſto judicio permiſerit Deus, manent hi, quantumvis indigni, miniſtri Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, quorum etiam operâ verbiſque ſæpè Deus utitur, ut ad ſalutem perducantur electi.

(*a*) Vide Joſue 10. ℣. 14.



CAPUT XIX.

De Sacramento Matrimonii.

QUæstio 1. *Quid est* MATRIMONIUM ?

℟. Est legitima viri mulierisque conjunctio, individuam vitæ societatem adferens, quam ad humani generis propagationem Auctor naturæ Deus primitùs instituit, & ad Sacramenti dignitatem Christus elevavit.

Q. 2. *Quandonam viri mulierisque conjunctio* LEGITIMA *est* ?

℟. Quando divinis humanisque legibus congruit. Sunt etenim varia IMPEDIMENTA partim ex divina Naturæ lege, partim ex humana institutione manantia, quibus qui obnoxii sunt, ratum validumque conjugium inire non possunt. Sic qui *consanguinei* sunt aut *affines*, usque ad quartum gradum inclusivè, matrimonio jungi non possunt. Nequit *fidelis* cum infideli à Christo penitùs alieno : neque persona quæ per *solemne votum* aut *sacrum Ordinum* divino cultui consecrata est.

Sunt prætereà leges præscribentes modum quo ista conjunctio peragenda est ut sit *legitima*.

Q. 3. *Quænam ea sunt* ?

℟. Præcipuè hæ duæ : prima est, ut libero spontaneoque consensu ineatur conjugium, adeò ut si gravi injustoque *metu* extorqueatur, nullo pacto subsistat.

Secunda est, ut Nuptiæ celebrentur præsente proprio alterutrius contrahentium Parocho, præsentibusque duobus ut minimùm testibus quod (*a*) ultima Generalis Synodus ad abolenda cum suis

(*a*) Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1.

malis omnia matrimonia *clandestina*, sapientissimè statuit.

Q. 4. *Undè constat matrimonium esse Novæ Legis Sacramentum?*

℟. Id ex perpetua Traditione nos docet Ecclesia, ac in ultima Generali Synodo Tridentina (*a*) contra nostri temporis Hæreticos apertè definivit. Quod ergo in officium naturæ primitùs institutum fuit, id ad propagandos Ecclesiæ filios, auxiliis gratiæ suæ condecorare Christus voluit, quò naturalem conjugum amorem ad sanctam liberorum educationem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret.

Q. 5. *Cujus rei sacrum signum est conjugium Christianorum?*

℟. (*b*) Arctissimæ illius atque indissolubilis unionis Christi cum Ecclesia Sponsa sua: quam unionem ille suâ incarnatione exorsus est, peccatorum sanctificatione continuat, electorumque glorificatione consummat.

Q. 6. *Estne id conjugio proprium, ut sit duarum tantùm personarum conjunctio?*

℟. Sic planè (*c*) ab initio Deus instituit ut vir unus cum unica muliere jungeretur; cùmquè progressu temporis primæva ista institutio esset vitiata, idque etiam sub Veteri Lege permisisset Deus, ut vir unus plures simul conjuges obtineret, sub Nova Lege ad primævam unitatem Matrimonium reduxit Jesus Christus, (*d*) ut deinceps sicut ab initio, non sint nisi *duo in carne una*.

Q. 7. *Estne Matrimonium Christianorum prorsùs indissolubile?*

℟. Si Matrimoniali actu *consummatum* fuerit,

(*a*) Ibid. Seff. 24. Can. 1. (*b*) Ephes. 5. ℣. 32.
(*c*) Vide Genes. 1. ℣. 27. (*d*) Matth. 19. ℣. 4. 5. & 6.

solâ alterutrius Conjugum naturali morte dissolvî potest: at verò si initum quidem est, sed necdum ità completum, (*a*) morte insuper spiritalî, id est solenni Religiosâque professione vinculum istud rumpi potest. Alias generaliter obtinet ista Christi sententia: (*b*) *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Sunt quidem aliqua, ob quæ subinde *Divortium*, id est Thori habitationisque separatio, publicâ auctoritate permittitur: sed salvo semper vinculo conjugali, quamdiù uterque in vivis est.

Q. 8. *Ob quos fines conjugium divinitùs institutum est?*

℟. 1. Ad liberorum procreationem, qui cum Dei timore educati ad vitam æternam perveniant.

2. Ad mutuum viri atque mulieris in omnibus vitæ molestiis laboribusque subsidium atque solatium.

3. Ad concupiscentiæ remedium. Qui alium sibi finem statuit, in matrimonii leges impingit.

Q. 9. *Estne omnibus permissum Matrimonium?*

℟. Est planè omnibus, qui à se nubendi potestatem ac voluntatem suâ sponte non abdicarunt. At his implenda est obligatio, quam ultrò subierunt. Nemo ergo ad virginitatem aut cœlibatum cogitur, sed qui solemni voto vel sacri ordinis susceptione legi isti se subdiderunt, violatæ fidei temeratæque religionis rei sunt, si non servent. (*c*) *Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.*

Q. 10. *Uter status alteri præferendus est, matrimonialis an virginalis.*

℟. Fide certum est, (*d*) virginalem ceteris pa-

(*a*) Conc. Trid. Sess. 24. Can. 6. (*b*) Matt. 19. ℣. 5.
(*c*) Luc. 9. ℣. 62. (*d*) Conc. Trid. ibid. Can. 10.

ribus sublimiorem esse meritique majoris; quippè qui id præstet, ut homo carnis infirmitate circumdatus cœlestem Angelorum vitam æmuletur in terris. Verùm (*a*) *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Quare quamdiu res est integra, (*b*) *qui non se continent nubant; melius est enim nubere, quàm uri.*

Q. 11. *Unde contingit ut tot passim infausta sint matrimonia, tanta cum pœnitudine tædioque conjuncta?*

℞. Non aliundè, nisi quod inconsultâ temeritate cæcoque libidinis impetu, vel perverso divitiarum appetitu connubia sæpe jungantur. Cùm itaque gravia sint statûs matrimonialis onera atque discrimina; magna cum maturitate atque prudentia istuc procedendum est. Idcircò cavenda juventutis vitia, compescendus illius ætatis fervor, restringenda divitiarum immodica cupiditas, justa parentum voluntas minimè negligenda, Deus seriò consulendus atque orandus, Sacramentum denique cum sancta præparatione suscipiendum est. (*c*) *Etenim filii Sanctorum sumus, & non possumus ità conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.*

CAPUT XX.

De Religioso vivendi genere.

QUæstio 1. *Quid Religiosæ vitæ nomine hìc intelligitur?*

℞. Ea vivendi forma, quam amplectuntur illi, qui ut Evangelicam Legem faciliùs pleniùsque observent, in cœtu aliquo per Ecclesiam

(*a*) Matth. 19. ℣. 11. (*b*) 1. Cor. 7. ℣. 9.
(*c*) Tob. 8. ℣. 5.

probato, castitatis, paupertatis, & obedientiæ votis in perpetuum se adstringunt.

Q. 2. *Estne laudabile hujusmodi vitæ instituto se tradere?*

℟. Est planè laudabile sæculo penitùs renunciare, ut soli Deo vivas. Hoc porrò præstant ii, qui eâ quâ par est vocatione istud vitæ genus amplectuntur. Etenim *Concupiscentia carnis* & sæculi voluptatibus, per castitatis votum renunciant. *Concupiscentiæ oculorum* & avaritiæ, per votum paupertatis. Denique *Superbiæ vitæ* ipsique propriæ voluntati, per obedientiam voluntariam.

Q. 3. *Estne status ille Religiosus recentis in Ecclesia Catholica, institutionis?*

℟. Imò verò antiquissimus est, & jam inde à tertio, quartoque Ecclesiæ seculis non modò frequentatus, sed magno in pretio habitus Propagatores in Oriente habuit (*a*) *S. Antonium*, Sanctumque (*b*) *Basilium* Magnum, Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopum : in occidente (*c*) *S. Augustinum*, (*d*) *S. Benedictum*, (*e*) *S. Brunonem*, (*f*) *S. Norbertum*, (*g*) *S. Bernardum*, sanctosque (*h*) *Dominicum* & (*i*) *Franciscum*, à quibus sæculo decimo tertio Instituta Religiosorum *Mendicantium*, ad Episcoporum Pastorumque subsidium, originem habuerunt.

(*a*) Obiit S. Antonius Abbas, in Thebaide, Ægypti regione, anno 356. ætatis 105. (*b*) Obiit anno 378.

(*c*) S. Augustinus Episc. Hipponensis in Africa, Lux Doctorum Ecclesiæ, obiit anno 430. ætatis 76.

(*d*) Decessit circà an. 543.

(*e*) S. Bruno Fundator Carthusiæ, decessit anno 1101.

(*f*) S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis, obiit an. 1134. (*g*) S. Bernardus Abbas Claræyallensis in Gallia, Doctor Ecclesiæ mellifluus, obiit anno 1153. ætatis 65.

(*h*) S. Dominicus Hispanus auctor Ordinis Prædicatorii, decessit anno 1221, ætatis 51.

(*i*) S. Franciscus Assisias Italus, Christianæ humilitatis & altissimæ paupertatis speculum, obiit anno 1226. ætatis 44.

Q. 4. *Estne ad amplectendum Religiosæ vitæ Institutum divina vocatio necessaria?*

℟. Est indubitatò, nam status ille arduus est & sublimis, & perpetua continentia ad quam adstringit, singulare Dei donum est, quod non omnibus est concessum. Res est quoque non parùm ardua, voluntatem propriam ità à se abdicare, ut homini mandanti, ceu Deo præcipienti, semper obtemperetur. Non ergo temerè aut inconsultò in istud vitæ genus, se quisquam debet ingerere.

Q. 5. *Quomodo exploranda vocatio?*

℟. Si te eò ferri sentis, neque propensionem illam repudia, neque tamen eam illicò admitte; (*a*) probandi spiritus an ex Deo sint, quapropter tempus & moram adhibe, & cura. 1. Ut eorum congressus tantisper declines, qui ad certum vitæ genus, proprii nonnumquam commodi intuitu, fortiùs fortasse quàm expedit, incitarent, sive propinqui illi fuerint, sive extranei.

2. In silentio, tacitoque mentis recessu Deum attentiùs interroga, ferventi cordis affectu identidem ingeminans: (*b*) *Domine quid me vis facere?* (*c*) *Doce me facere voluntatem tuam.*

3. Prærogativas statûs Religiosi perpende, sed adjunge illius obligationes verè arduas ac sublimes. Sinum mentis tuæ discute, ut perspicias, quâ intentione feraris.

4. (*d*) *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, sed in consilium adhibè prudentiores, eosque præsertim quorum minime interest, quam potissimùm vitæ rationem secteris. Ubi itaque oratione & consilio, per justam temporis moram, vocationem tuam exploraveris, si ad hunc aut istum cætum

(*a*) 1. Joan. 4. ℣. 1. (*b*) Act. 9. ℣. 6.
(*c*) Psalm. 142. ℣. 10. (*d*) Proverb. 3. ℣. 5.

singularis animi tui propensio perseveret perge alacris, si modò bono spiritu rectâque intentione feraris, illudque ad quod aspiras cœnobium tale sit, in quo cum lege Evangelica Regularis observantia vigeat.

Q. 6. *Quo spiritu, quâque intentione Religiosum vitæ Institutum amplectendum est?*

℟. Non alio certè spiritu, quàm ut fugiatur depravati mundi corruptio, qui tentationibus, laqueis atque periculis plenus, (*a*) *totusque in maligno positus est*: ut (*b*) in amaritudine animæ recogitentur, dignisque pœnitentiæ fructibus sarciantur anteactæ vitæ crimina & delicta: ut semetipsum Deo jugiter offerat (*c*) in hostiam viventem, sanctam & bene placentem: denique per Religiosæ vitæ exercitia Christiana perfectio certiùs acquiratur, securiùsque conservetur.

Abfit igitur omnis perversa cupiditas, sive commodi temporalis, quod alibi fortè tam facilè obtineri non posset, sive honoris ac dignitatis.

Q. 7. *Quid facto opus illi, qui se Monasticæ Professioni jam tradidit?*

℟. Curandum sedulò, ut quam professus est Regulam accuratè servet in omnibus, postremum semper ex animo locum eligat, subesse malens quàm præesse: voluntatem propriam obneget, ut sine murmuratione & obloquio Superiori præcipienti obediat: Fratres omnes honore præveniat: parùm loquatur: vitet necessitudines omnes speciales, quæ invidiam animorumve alienationem generare queant. Vehementer caveat ut ne tantillum quidem ceu proprium sibi usurpet, sed omnia sciente & consentiente Superiore: Denique perpetuò diabolus eum occupatum

(*a*) 1. Joan. 5. ℣. 19. (*b*) Isai. 38. ℣. 15.
(*c*) Rom. 12. ℣. 1.

inveniat. Sic hujus vitæ tranquillitas æternæ pacis prodroma obtinetur.

CAPUT XXI.

De Cæremoniis Ecclesiæ, quæ extrà Sacramentorum administrationem frequentantur.

PRæcipuas tantùm breviter expendemus, videlicet signum crucis, exorcismos & benedictiones, sacra luminaria & cereos benedictos, incensum, aquam benedictam, cineres, ramos palmarum, & processiones.

Q. 1. *Estne res sancta & utilis*, SIGNUM CRUCIS *in fronte aliterve formare* ?

℟. Si non persunctoriè sed devotè formetur, res planè sanctissima est atque utilissima, nobis cum pietatis affectu in memoriam revocans præcipua Religionis nostræ fideique mysteria. Atque ea est ratio cur ista crucis signatio perpetuò Ecclesiæ usu ex Apostolica traditione profecto, fuerit stabilita, & (*a*) à priscis Patribus mirificè commendata.

Q. 2. *Recense ea mysteria quæ signo Crucis velut in compendio profitemur.*

℟. 1. Est mysterium SS. Trinitatis quod iis verbis : *In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti*, apertè continetur ; nam cùm Patrem, Filium & Spiritum Sanctum nominamus, tres personas reipsà distinctas profitemur : dum verò singulariter dicimus *in nomine*, unam esse trium auctoritatem atque potentiam, unamque proinde divinitatis naturam agnoscimus.

(*a*) Tertull. de corona milit. S. Basilius de Spirit. Sancto cap. 27. S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum S. Chrysost. hom. 12. & 55. in 1. ad Cor. S. Hieronymus Epist. ad Eustoch. de custod. virg. & ad Fabiolam de vest. sacerd. S. Aug. lib. de Catechis. rud. cap. 20. & Tract. in Joan. 118. &c.

2. Est mysterium Incarnationis Dominicæ & Redemptionis generis humani : idcirco enim signum formamus crucis, ut nosmetipsos commonefaciamus, Christum Dei filium, cùm pro nobis factus esset homo, mortem in *Cruce* subiisse, ut à servitute Dæmonis nos liberaret, æternoque Patri reconciliaret.

Q. 3. *Quis prætereà signi istius debita cum devotione formati fructus est?*

℟. Ipsum per se oratio est admodum efficax, quâ Divinæ Trinitatis auxilium per merita Dominicæ Passionis contrà malignorum spirituum potestatem & insidias, impurasque omnes cogitationes imploratur, & certissimè impetratur. Confert prætereà ut pro ineffabili Redemtionis beneficio indesinentem animi gratitudinem demonstremus. Denique ad quævis opera majoris momenti piâ sedulitate & attentione repetitum, hæc omnia divinæ gloriæ per Jesum Christum consecrat dedicatque.

Atque hæc sunt quæ Ecclesiam Catholicam impulerunt, ut tam frequenter in ritibus suis plerisque omnibus, ac præsertim in rei cujusvis *benedictione* hujus signi formam adhibeat; memor, omne bonum salutare à Deo Opt. Max. per Christi crucifixi merita derivari.

Q. 4. *Quare Ecclesia frequenter adhibet* Exorcismos, *id est adjurationes Diaboli?*

℟. Ut per merita Christi, qui Principem illum tenebrarum moriendo superavit, & alligavit, vis ejus potestasque coerceatur, ne per creaturas, quibus (*a*) Deo permittente crebrò abutitur, perniciem mortalibus inferat aut nocu-

(*a*) Vide lib. Job. cap. 1. & 2. Matth. 8. ℣. 30. & seqq.

mentum : vel si jam cœperit , imposterum nocere desinat.

Q. 5. *Quem usum habet* AQUA BENEDICTA ?

℞. Ex antiquissimo Ecclesiæ usu variis precibus aqua Dominicis præsertim diebus benedici solet, tùm ut contra Diaboli infestationes virtutem obtineat , tùm ut eâ fideles asperfi reminiscantur aquæ Baptismalis , quâ olim à peccatis abluti innocentiam consecuti sunt , quam debeant sedulo servare illibatam. vel amissam aquâ salutaris pœnitentiæ reparare.

Q. 6. *Ut quid in sacra liturgia , etiam plenâ luce* LUMINARIA *accenduntur ?*

℞. Vetustatis quoddam vestigium est, indicans vigentibus olim persecutionibus in cryptis locisque absconditis ac noctu plerumque mysteria celebrari consuevisse. Insuper tamen lumen, quod in plerisque Ecclesiæ cæremoniis accenditur , adumbrat nobis, lumen illud verum & indeficiens quòd (*a*) in tenebris lucet, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Jesum Christum scilicet Sapientiam Patris Increatam.

Q. 7. *Cur in Festo Purificationis Matris Domini singulari ritu* CEREI *benedicuntur , & à fidelibus deferuntur accensi ?*

℞. Eo die memoria agitur Christi in Templo oblati , quando à Symeone agnitus fuit & prædicatus (*b*) *Lumen ad revelationem gentium* , id est gentilium illustrator veterisque erroris & ignorantiæ dissipator. Id ipsum ritu visibili fideles profitentur , dum cereos candidos Sacerdotali oratione consecratos, accendunt, & solenni pompâ deferunt.

(*a*) Joan. 1. ℣. 9.
(*b*) Luc. 2. ℣. 31.

Q. 8. *Quis in divini officii celebratione usus est* INCENSI *aromatici?*

℟. Naturalis usus est, ut loca ista sacra ad majorem corporum salubritatem bono odore perfundantur. Verùm commonentur insuper fideles ut meminerint, orationes suas (*a*) sicut incensum grati acceptique odoris sursùm ad Dei Thronum attentâ devotione dirigere, vitamque suam totam ad Dei laudem & honorem cum pia proximi ædificatione consumere.

Q. 9. *Quid sibi vult, quòd initio quadragesimæ fidelium capita* CINERIBUS *conspergantur?*

℟. Vestigium est veteris usûs, quo initio solennis jejunii, iis qui publicam pro delictis pœnitentiam acturi erant, multis cum cæremoniis ac precibus congruus lugentibus habitus, cilicium cum cinere imponebatur. Hodie benedicti cineres omnibus imponuntur, ut moneantur adesse tempus singulariter pœnitentiæ destinatum, suæque conditionis quemque memorem esse oportere, si utique (*b*) è pulvere sumptum in pulverem propediem rediturum.

Q. 10 *Quid* RAMI PALMARUM *indicant, qui Dominicicâ proximâ ante Pascha, solemni ritu benedicuntur & à fidelibus gestantur?*


℟. In memoriam revocant (*c*) triumphalem Christi ingressum in Urbem Hierosolymam sexto die antequam pateretur, monentque ut & Redemptoris auxilio & exemplo de salutis nostræ hostibus triumphare satagamus.


Q. 11. *Quid denique usus est solemnium pomparum, quas* PROCESSIONES *dicimus?*

(*a*) Psal. 140. ℣. 2.
(*b*) Gen. 3. ℣. 19. Psal. 102. ℣. 14. Eccles. 12. ℣. 7.
(*c*) Joann. 12. ℣. 13. Apoc. 7. ℣. 9.

R. (a) A vetusto usu id quoque retentum est. Solebant etenim fideles olim sæpe ab una martyris *memoria* ad aliam pietatis & orationis causâ procedere, quod tunc certo cum ordine peragebant, divinas intereà laudes decantantes; hymnosque & Psalmos recitantes. Pompa & splendor novis subinde rationibus aucta sunt, præcipuè, ut contra hæreses veram Christi in Eucharistia præsentiam impugnantes, Ecclesia Catholica circumlato hoc, adorando salutis pignore triumpharet: Ceterùm *Processiones* omnes admonent (b) advenas nos esse & peregrinos super terram, (c) non habentes hic manentem civitatum sed futuram inquirentes.


(a) Vide 2. Reg. 6. Item. 3. Reg. 8. solennissimam Arcæ Fœderis translationem.
(b) Psalm. 38. ℣. 13. 1. Pet. 2. ℣. 11.
(c) Heb. 14.





PARS SECUNDA.

De Spe, & Oratione, præsertim Dominica.



Um *Fides*, teste Apostolo, (*a*) sit *sperandarum rerum substantia*, Basis ac fundamentum, consequens est, ut postquam de Fide actum est, de *Spe* tractetur. Hæc secunda ædificii spiritalis pars est, quæ fundamentis veræ Fidei superstructa, desiderio & expectatione in cœlum erigitur, ut istic perfectissimâ charitate compleatur. Cæterum spei nostræ index *Oratio* est, cujus hìc proindè tractatio necessariò conjungenda est; sed quia inter omnes longissimè eminet *Dominica*, illa præcipuè veniet expendenda.

CAPUT PRIMUM.

De Spe Christiana, ejusque exercitio, & vitiis illi adversis.

QUæstio I. *Quid est* SPES *Christiana?*

℟. Est virtus divinitùs infusa, quâ certâ cum fiduciâ nostræ salutis & æternæ vi-

(*a*) Heb. 11, ℣. 1.

tæ bona, expectantur. Hæc autem fiducia, ubi semel eâ quâ oportet firmitate, & concepta est hominem justum in summis quoque ærumnis tantoperè fulcit, ut etiamsi mundi præsidiis omnibus destituatur, intrepidè tamen dicat: (a) *Deus meus in te confido, non erubescam.*

Q. 2. *Quo pacto ista Spei Christianæ virtus obtinenda est?*

℟. Frequenti & ardenti Oratione à Deo postulanda est: est enim virtus divinitus infusa, & singulare Dei donum, quod quidem in Baptismo cum fide & charitate infunditur, sed non minùs in sui conservatione & augmento, quàm in prima sui infusione à Dei benignitate dependet.

Q. 3. *Quænam sunt speranda homini Christiano?*

℟. Illa definitionis verba, *nostræ salutis & æternæ vitæ bona*, continent omnia quæ speranda sunt. Nempè primariò & ante omnia quærenda & expectanda est *vita æterna*, ac deinde cetera quibus ad eam perducendi sumus, id est multiplicia divinæ gratiæ auxilia per Jesum Christum Dominum nostrum.

Q. 4. *Estne ergo Christiano homine indignum temporalia bona à Deo sperare?*

℟. Si illa non aliter expectentur, nisi quatenùs ad æterna conducunt, planè à Deo speranda sunt æquè ac æterna, cùm à sola ejus benignitate dimanent omnia.

Q. 5. *Cujusmodi debet esse Spes Christiana?*

℟. Certa planè, & ab omni fluctuatione & hæsitatione immunis.

Q. 6. *Quæ tantæ firmitatis & certitudinis ratio est?*

℟. Omnipotentis Dei promissio & infinita benignitas, quibus ob merita Christi Redemptoris innititur Spes Christiana.

(a) Psalm. 24. ℣. 2.

Q. 7.

Q. 7. *Excluditne igitur spes nostra omnem penitùs* timorem?

℞. Diffidentiam excludit & anxietatem, *timorem* autem salutarem debet habere conjunctum, ne in *præsumptionem* degeneret. *Timor* ille in homine Christiano nascitur, quando ad fragilitatem & instabilitatem propriam, mentis oculos reflectit, quod quidem utiliter ac necessariò à Christianis fieri demonstrant verba Apostoli monentis, ut (*a*) *cum timore & tremore salutem* nostram operemur, cùm sit Deus, qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate.

Q. 8. *Estne frequens Spei exercitium necessarium homini Christiano?*

℞. Est maximè, tùm ut bona transitorio non majoris à nobis æstimentur, quàm æstimanda sunt; tùm ut mens nostra à terrenis affectibus ad cœlestia desideria transferatur, tùm denique ut & in prosperis debita submissio, & invicta in adversis patientia conservetur.

Q. 9. *Quænam vitia* Spei *adversantur*?

℞. Hæc duo: *præsumptio* & *desperatio*, illa excedit, hæc deficit.

Q. 10. *Quid hìc est* præsumptio?

℞. Est temeraria fiducia expectans, quod Deus non promisit, vel aliter ac promisit.

Præsumptione itaque delinquit 1. qui tentat Deum.

2. Qui propriis sine Dei gratia viribus divina mandata servare, & ad vitam æternam contendit pervenire. Quæ erat superba præsumptio Hereticorum, qui à suo auctore (*b*) Pelagiani dicti sunt.

Q. 11. *Quis verò* tentare Deum *dicitur*?

(*a*) Philip. 2. ℣. 12.
(*b*) Quos egregiè debellavit S. Augustinus.

℟. (a) Qui sine justâ ratione id à Deo expectat & postulat, quod ille nullo modo promisit. *Tentat Deum* igitur, qui sine necessitate miraculum aliquot aut prodigium flagitat. *Tentat Deum*, qui sine Pœnitentia peccatorum remissionem, aut sine fructu bonorum operum salutem æternam præstolatur. Ac denique *Tentat Deum*, qui sub Spe veniæ, immensam illius majestatem liberiùs offendit.

Q. 12. *Quandonam* desperatione *delinquitur* ?

℟. Dum ob peccatorum numerum vel enormitatem omnis spes veniæ abjicitur, ita ut cum infelici Caïno quis dicat (b) *Major est iniquitas mea quàm ut veniam merear*. Cùm tamen Christi Jesu merita pretii sint infiniti, & inexhausta sit Divinæ misericordiæ largitas erga peccatores quantumvis indignos & immerentes.

CAPUT II.

De oratione, præsertim Mentali.

QUæstio 1. *Quid hoc loco est* ORATIO ?

℟. Dum nomen istud strictiùs sumitur, est desiderium atque petitio earum rerum, quas à Dei benignitate speramus.

Quòd si generaliùs accipiatur, est pia mentis in Deum elevatio, quædamque nostræ devotionis coram æterna illa majestate testificatio.

Q. 2. *Quot modis ista mentis in Deum elevatio peragitur.*

℟. His potissimùm quinque : 1. *adorando* summam & incomprehensibilem Dei Majestatem, coram quâ omnes creaturæ (c) in nihilum com-

(a) Vide Matth. 4. ℣. 7. Deut. 6. ℣. 16. Psal. 77. ℣. 18. Eccli. 18. ℣. 13.

(b) Gen. 4. ℣. 13. (c) Sap. 9. ℣. 6.

paratæ sunt, & (*a*) universus orbis est instar guttæ roris antelucani.

2. *Laudatione* sapientiæ, justitiæ & misericordiæ cæterarumque perfectionum ejus, quæ sunt undequaque ineffabiles & infinitæ.

3. *Gratiarum actione* de inexhausta ejus beneficentia super nos, cæteraque omnia quæ omnipotenti voluntate è nihilo condidit.

4 *Postulatione* earum rerum, quæ nobis æquè sunt salutares.

5. Denique *oblatione*, tum illâ, quâ nosmetipsos toto voluntatis affectu divino servitio consecramus, tum præsertim istâ, quâ Jesum Christum Dei Filium mysticè in sacrificio immolatum, æterno Patri, ceu victimam nostram, exhibemus.

Præter hos tamen modos, peccatorum etiam detestatione, aliarumque virtutum exercitio mens in Deum elevari solet.

Q. 3. *Omnisne oratio solâ* mente *perficitur*?

℟. Omnis oratio si vera est, mentis in Deum elevationem conjunctam habeat necesse est; alioquin non tam oratio quam simulacrum orationis futura est. Verùm mentis affectui *vox* quoque corporis sæpè rectèque conjungitur, ut utraque substantia ex qua homo constat, divino cultui serviat, & sensibilis labiorum motus attentionem mentis nutriat atque conservet.

Oratio itaque alia *mentalis* dicitur, quæ solò cordis desiderio ferventique devotionis affectu peragitur: alia *vocalis*, quæ corporeâ insuper voce profertur.

Q. 4. *Estne utile* MENTALIS ORATIONIS *exercitium*?

℟. Est planè Christianis omnibus utilissimum,

(*a*) Ibid. cap. 11: ℣. 23.

& ad perfectionem virtutisque profectum summè necessarium

Q. 5. *At fortè res est ardua valdèque sublimis, nec omni hominum generi accommodata?*

℟. Hæc multorum falsa & inepta persuasio est, quasi scilicet in sublimibus cogitationibus exquisitisque ratiociniis *mentalis Oratio* sita sit: imò verò nihil est aliud, quàm cordis in Deum motus, piusque voluntatis affectus. Benè utiliterque orat *mentaliter*, qui infirmitatem suam, multiplicemque necessitatem sincero animi sensu coram Deo omnium bonorum Largitore agnoscit; qui suæ iniquitatis & delictorum memor, serio dolore tangitur, & per dignos pœnitentiæ fructus firmiter statuit expiare, & emendare quod deliquit: qui cum acceptorum beneficiorum gratissimâ recordatione postulat, ut ea Deus confirmet, velitque esse perpetua: denique qui vitam omnem divinæ gloriæ dedicat, & refrænatarum cupiditatum spontaneum sacrificium illi immolat.

Q. 6. *Nonne Oratio mentalis devotæ rerum salutarium meditationi solet esse innixa?*

℟. Solet planè: nam rerum divinarum meditatio occasionem præbet, ut pia voluntatis motio consequatur, qua in re *Oratio mentalis* sita est.

Q. 7 *Quid verò est* MEDITATIO?

℟. Attenta rei consideratio. *Meditari* scilicet rem quampiam dicitur, qui ad eam illiusque attributa & circumstantias seriò advertit animum. Sic meditari vitæ statum dicitur, qui de certo vitæ genere deligendo deliberat: sic quoque meditari lucrum dicitur, qui tractat animo, quâ certiori viâ ad illud queat pervenire. Pari ratione, qui attento animo sanctissimam Dei legem crebrò considerat, quid vetet, quid præcipiat,

quàm justè, quàm sanctè, quàm utiliter cuncta disponat, meditari legem Dei dicitur.

Q. 8. *Estne hujusmodi meditatio homini Christiano plurimùm consulenda?*

℟. Est omninò: nam in Christianis impleri debet id quod primi Psalmi initio Regius Propheta conscripsit: (*a*) *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini voluntas ejus & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ne rudes quidem & idiotæ ab hujus exercitii functione excusare se possunt. Veritates norunt quas palam à Pastoribus, privatimque ab aliis edocti sunt: ipsum quoque (*b*) mundi hujus opificium architectum suum indefinenti voce deprædicat, ut excusari nequeant, qui oculos mentis cordisque aures occludunt.

Q. 9. *Cur ergò multi meditationem & orationem mentalem sibi impossibilem esse causantur?*

℟. Quia sensibus nimiùm indulgentes vitæque minimè regulari jam pridem assueti, terrenis rebus cor ita affixum gerunt, ut vix unquam ad semetipsos, nedum ad Creatorem ac Redemptorem suum animum seriò applicent; præsentibus toti intenti, bona & mala quæ oculis usurpari non possunt, penè pro nihilo reputant. Inde vitæ tam parùm sæpè Christianæ luculenta origo. (*c*) *Desolatione*, scilicet, *desoluta est omnis terra, quia nemo est qui recogitet corde.*

Ceterùm si nemo est, qui se inidoneum dicere possit, ut de anteacta in criminibus vita internâ pœnitudine serioque dolore tangatur, nemo quoque erit, qui se ad meditandum dicere possit ineptum; neque enim sine attenta animi consi-

(*a*) Psalm. 1. ℣. 1. (*b*) Psalm. 18. ℣. 1.
(*c*) Jerem. 12. ℣. 11.

deratione, aut conscientia discuti, aut detestatio & dolor elici, aut novæ vitæ, satisfactionisque propositum formari potest.

Q. 10. *Quænam potissimùm frequenti* meditatione *versanda sunt homini Christiano?*

℞. 1. *Novissima* hominis, mors & quæ eam consequuntur, crebrò illi in memoriam revocanda sunt. (*a*) *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

2. Recogitandi anni anteactæ vitæ (*b*) *in amaritudine animæ*

3. Inviolabilia Dei mandata, lexque in Evangelio à Salvatore sancita, ante oculos perpetuò habenda sunt; ut corruptioni mundi hujus, qui (*c*) *totus in maligno positus est*, indesinenter opponantur. (*d*) *In corde meo*, inquit Psalmista, *abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

4. Dominicæ Passionis Mortisque mysteria, & quæ in omni Christi vita & doctrina elucent salubria documenta.

5. Expendendæ sunt unicuique obligationes suæ, tum generales hominis Christiani, tùm peculiares ob vitæ genus cui quisque addictus est, ut sedulò impleantur.

CAPUT III.

De Orationis necessitate & fructu.

QUæstio 1. *Cui rei innixa est Orationis necessitas?*

℞. Partim Christi præcepto & exemplo, partim indigentiæ nostræ & inexhaustæ Dei beneficientiæ, partim denique supremæ Dei pote-

(*a*) Eccli. 7. ℣. 40. (*b*) Isai. 38. ℣. 15.
(*c*) Joan. 5. ℣. 19. (*d*) Psalm. 118. ℣. 11.

ſtati atque dominio Chriſti Salvatoris exemplum imitationem, præceptum obedientiam à nobis depoſcit : indigentia noſtra ſupplicationem, Beneficentia Dei gratiarum actionem, ſuprema illius poteſtas oblationem & adorationem à nobis requirit.

Q. 2. *Cui incumbit hæc orandi neceſſitas?*

℟. Omnibus qui uſum rationis adepti ſunt.

Q. 3. *Quis orandus?*

℟. Deus ut Largitor bonorum omnium, per (*a*) Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. Orandi etiam (*b*) Angeli Sanctique cum Chriſto regnantes, ac præſertim Sanctiſſima illius Mater, non ut largitores, ſed ut interceſſores ac Patroni, qui nobiſcum & pro nobis orent communem Deum ac Dominum, in nomine Chriſti Redemptoris.

Q. 4. *Pro quibus orandum?*

℟. Non pro ſe tantum, ſed pro omnibus hominibus ſincero charitatis affectu unumquemque orare oportet ; at maximè pro Regibus & Principibus, cunctiſque qui in ſublimitate ſunt tam ſeculari quàm Eccleſiaſtica : (*c*) *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Nobis quoque disertè à Chriſto injunctum eſt, ut ipſis etiam inimicis noſtris & perſecutoribus bona à Deo precemur ; neque peccatores, hæretici, & infideles à noſtris orationibus ſunt excludendi (*d*) *Sancta denique & Salubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare Deum ut à peccatis ſolvantur.*

Q. 5. *Quid in oratione pro nobis aliiſque poſtulandum eſt?*

(*a*) 1. Tim. 2. ℣. 5. Epheſ. 2. ℣. 18.
(*b*) Vide infra latiùs in explicatione primi præcepti decalogi.
(*c*) 1. Tim. 2. ℣. 2. (*d*) 2. Machab. 12. ℣. 46.

℟. Quidquid rectè speratur, rectè etiam à Deo postulatur. Quapropter vita æterna, omniaque quæ ad eam assequendam sunt necessaria, absoluto & indesinenti desiderio à Divina largitate petenda sunt; cætera verò, quæ bono aut malo usu, utilia ad salutem esse possunt aut noxia, non aliter optanda nec postulanda sunt, nisi quatenùs ex certa Dei providentia ad illius gloriam, nostramque cum ipso conjunctionem perpetuam erunt conducibilia.

Q. 6. *Quinam utiliter & fructuosè orant?*

℟. Qui spiritu & affectu conjuncti Jesu Christo Redemptori nostro, per ejus nomen & merita, corde humili & contrito, attentè ac devotè, cum certa fiducia, patientique perseverantia à Deo postulant quidquid ad salutem est necessarium.

Q. 7. *Cur per* Christi nomen & merita *bonum omne salutare petendum est?*

℟. Quia ipse est (*a*) mediator Dei & hominum, (*b*) per quem accessum habemus ad Patrem, (*c*) *nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hinc est Ecclesiæ spiritus, ut omnes orationes suas istâ ferè formâ concludat: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.*

Q. 8. *Quæ ratio est cur* cordi humili & contrito *orare oporteat?*

℟. Quia (*d*) Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: necesse ergo est ut intimo paupertatis, indigentiæ, miseriæ & iniquitatis suæ sensu tangatur, qui à Deo misericordam obtenturus est. (*e*) *Respexit in orationem* HUMILIUM

(*a*) 1. Tim. 2. ℣. 5. (*b*) Ephes. 2. ℣. 18.
(*c*) Act. 4. ℣. 12. (*d*) Jac. 4. ℣. 6.
(*e*) Psalm. 101. ℣. 18.

& non sprevit precem eorum. (*a*) Cor contritum et humiliatum *Deus non despiciet.*

Q. 9 *Cur cum* attenta devotione *Deus orandus est?*

℟. Quia (*b*) *spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*; & certè res indecentissima est, in conspectu summæ Majestatis indiligentem esse, aliudque mente versare quàm res & tempus ferant. Ipsi Angeli trementes Deo assistunt, & laudes concinunt; quid igitur nos facere convenit indignos peccatores vilesque vermiculos terræ? Curandum sedulò ne contra nos divinum illud improperium intorqueri possit: (*c*) *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Q. 10. *Quomodo necessaria ista in oratione* attentio *comparanda est?*

℟. Vix fieri potest, ut inter vitæ hujus occupationes tam varias atque multiplices omnes mentis evagationes in oratione devitentur: sed annitendum est ne in eas animus suà sponte delabatur, aut inhæreat: Quocircà (*d*) ante orationem animus preparandus est, partim quidem cavendo, ne rebus externis quibuscumque interdiù nimiùm dissipetur, sed quoad ejus fieri potest, è Divini Numinis præsentia numquam se subducat, identidem autem brevibus aspirationibus sese in cœlum erigat: partim verò providendo ne tandi momenti negotium quale est immensæ majestatis alloquium, temerè umquam aut ex arida tantùm consuetudine peragatur.

Q. 11. *Quare* certa cum fiducia *orandum est?*

℟. Quia Deus O. M. id à nobis exigit, ut

(*a*) Psal. 30. ℣. 19. (*b*) Joan. 4. ℣. 24.
(*c*) Matth. 15. ℣. 1. Isai. 29. ℣. 13.
(*d*) Eccli. 18. ℣. 23.

depulsâ omni hæsitatione ac fluctuatione, in omnipotenti benignitate ejus omne nostrum præsidium collocemus. Quare monet Apostolus Jacobus, ut qui voluerit impetrare, (a) *Postulet in fide nihil hæsitans.*

Q. 12. *Cur ceteris omnibus adjungenda est patiens in postulando perseverantia?*

℟. Quia hâc sanctâ importunitate nostrâ delectatur Deus, & sæpè tantisper differt nos exaudire, ut fidem ac fiduciam exerceat, teporem, & languorem corrigat, desiderium accendat, magis nos denique humiles, ferventes, vigilates & circumspectos reddat. (c) *Oportet* ergo *semper orare & non deficere*, quod duabus in Evangelio parabolis Dominus declaravit: Alterâ (c) *viduæ* importunis sollicitationibus iniquum judicem ad justitiæ ministerium compellentis: alterâ (d) *Amici* intempestâ nocte postulatos ab amico panes, continuatis pulsibus impetrantis.

Q. 13. *Quod si comitibus jam recensitis oratio stipata fuerit, eritne certa & infallibilis impetratio?*

℟. Si quis in Christi nomine, corde humili & contrito, attenta cum devotione, certâque fiducia & perseverantiâ pro se postulet bonum aliquod salutare, plena & infallibilis est impetrandi certitudo: nam ipsa Veritas id disertè promisit his verbis: (e) *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Hoc tamen non ita intelligendum est, quasi semper concedat Deus id quod determidatè petebatur: sed cùm sæpenumero (f) quid oremus sicut oportet nesciamus, tunc maximè nos exaudit Deus cùm minimè exaudire videtur, largiens

(a) Jac. 1. ℣. 6. (b) Luc. 18. ℣. 1. (c) Ibid. ℣. 2.
(d) Luc. 11. ℣. 5. (e) Joann. 16. ℣. 23.
(f) Rom. 8. ℣. 26.

quod ad salutem futurum est longè utilius, quàm quod petebatur.

CAPUT IV.

De situ corporis, loco & tempore orationis.

QUæstio 1. *Quis in oratione* corporis situs *servandus est?*

℞. In Cœtu fidelium & oratione publica servandus est mos Ecclesiæ, quæ nunc flexis genibus, nunc erecto corpore Deum orat; & quidem iis diebus, quibus cum gaudio & alacritate animi Dominicam Resurrectionem recolit, diebus nempè Dominicis totoque Paschali tempore, vetustissima consuetudo habet ut stando præcipuè, preces publicæ peragantur; diébus autem luctui & pœnitentiæ deputatis genua flectuntur, quòd ille corporis situs humili supplicationi maximè congruat.

Ceterùm & publicè & privatim indecens corporis situs cavendus est, ne quis insultare potiùs Deo, quàm supplicare velle videatur. Memores tamen esse oportet, quòd etsi exterior compositio ad excitandam fovendamque devotionem conducere possit, per se tamen, si à spiritu & veritate sejuncta sit, Deo placere non possit.

Q. 2. *Quis* LOCUS *orationi maximè proprius?*

℞. Is qui divino cultui singulariter est consecratus. Nam præterquam quòd ex Ecclesiæ dedicantis precibus major quædam hìc sit impetrandi fiducia, hìc insuper fideles (*a*) quasi facto agmine conveniunt, ut mutuæ devotioni suppetias ferentes, sanctam quamdam violentiam cœlo inferant.

(*a*) Tertull. in Apolog.

Vitandam interim ostentationem Salvator (*a*) monuit : cumque (*b*) totus orbis terrarum latiori sensu sit Templum Dei, ac præsertim (*c*) mentes fidelium Templa sint Spiritûs Sancti, (*d*) nullus ad orandum locus ineptus est.

Q. 3. *Quo potissimùm* TEMPORE *orandum est?*

℟. Apostoli Pauli jussio est : (*e*) *Sine intermissione orate* : quod eo sensu intelligendum est, ut affectus charitatis in nobis jugiter perseverans, quantum per occupationes hujus vitæ mortalis licet, identidem ad orationis actum prorumpat, ut divina in nobis charitas & pietatis studium augeatur, fervor Spiritûs renovetur, tentationum vires debilitentur, & quotidiana fragilitatis nostræ delicta per illius, clementiam expientur.

Orationi nihilominùs nonnulli præ cæteris destinati sunt dies, Dominici scilicet, Festi atque Jejuniorum. Sed & diebus singulis tria præcipuè tempora orationi fidelium deputata sunt, (*f*) matutinum, meridianum & vespertinum.

Q. 4. *Cur tribus hisce temporibus manè, meridie ac vesperi orationi præcipuè incumbendum est?*

℟. *Matutinum tempus* id à nobis exigit, ut è strato surgentes, de nocte feliciter transacta grates habeamus Deo, & imminentem diem ipsius obsequio consecremus, & gubernationi commendemus.

Meridies verò, cùm refectioni corporis id tempus tribui soleat, hoc à Christianis postulat, ut quæ reparandis viribus apponuntur, animo & corpori salubria Divini Numinis invocatione reddantur : ubi autem percepta sunt, æquum est ut

(*a*) Matth. 6. ℣. 1. 5. & 6.
(*b*) Psalm. 23. ℣. 1. Act. 7. ℣. 48. 49. & 50.
(*c*) 2. Cor. 6. ℣. 16. (*d*) 1. Tim. 2. ℣. 8.
(*e*) 1. Thess. 5. ℣. 17. (*f*) Psalm. 54. ℣. 18.

largitas ejus indeficiens sincerâ gratiarum actione laudetur.

Vesperi denique priusquam ad quietem se quisque componat, justissimum est, ut & de perceptis eo die beneficiis agat Deo Largitori gratias, & de erratis, quæ instituto examine agnoverit, veniam deprecetur, & castàm tranquillamque ab ejus præsidio noctem satagat impetrare.

Q 5. *Cur* publicæ *Ecclesiæ preces in varias dies noctisque* HORAS *sunt distributæ* ?

℟. Ut ità semper Divina Majestas laudetur & adoretur, ab iis præsertim, qui in sortem Domini vocati, illiusque servitio specialiter mancipati sunt, quorum potissimùm munus est. (*a*) In lege Domini meditari die ac nocte. Hoc tamen & fideles ceteri diebus saltem Dominicis ac Festis, æmulari solebant primis Ecclesiæ sæculis.

Q. 6 *In quot & quænam tempora, ex antiquo usu, preces publicæ sunt distributæ* ?

℟. In *Septem* : nam prima pars officii nocturno tempori destinata est, quæ *Matutinum* dicitur & in tria noctis tempora dispescebatur.

2. Pars quæ *Laudum* nomine nuncupatur, ad auroram pertinet.

3. Ad primùm post solis ortum diëi Horam, unde illi *Primæ* nomen adhæsit.

4. Ad horam diëi tertiam, unde & *Tertia* appellatur.

5. Ad sextam diëi horam sive meridiem, *Sexta* vocatur.

6. Ad nonam diëi horam, quæ nostræ tertiæ pomeridianæ ferè respondet, *Nonæ* nomen retinuit.

7. Ad solis occasum, *Vesperarum* nomen obtinuit.

(*a*) Psalm. 1. ℣. 2.

Adjectæ sunt deinceps preces aliquæ, quibus ante quietem cæteræ concluderentur, quibus *Completorii* nomen inditum est.

Hæc olim tempora accuratè servabantur, hodiè pletisque in locis solum penè nomen superest, nisi quòd in nonnullis Cœnobiis hucusque retenta sint.

Q. 7. *Quinam ad* precum Horariarum *recitationem sunt obligati?*

℟. Qui vel Ecclesiasticum Beneficium possident, vel sacro ordine initiati, vel in Monasterio quopiam ad Chorum professi sunt, sive viri sint, sive mulieres.

Q. 8 *Quid si* Beneficio Ecclesiastico *donati, pensum istud Horarium & in Choro decantare & privatim recitare negligant?*

℟. (*a*) Privantur fructibus, qui Officio diei aut partis ejus responderent, ita ut eos retinere non valeant, sed in pios usus expendere teneantur.

Q. 9. *Satisne est quotidianum istud Officium vel voce, vel labiis recitare?*

℟. Jam, suprà satis dictum est orationem omnem attento devotoque animo fieri oportere; quod cùm ubique, tùm verò præcipuè locum habet in iis precibus, ad quas quisque ex officio ceu communis Ecclesiæ minister adstrictus est.

Q. 10. *Quibus temporibus hodie extrà Chorum horariæ preces privatim recitandæ sunt?*

℟. Nihil consultius, quàm ut unusquisque annitatur, ut quoad fieri potest, interpolatis vicibus recitet, & ad primævam temporis rationem quàm proximè accedat.

(*a*) Ex Constitut. Pii V.

CAPUT V.

De Oratione Dominica : ac de illius præsertim primâ petitione.

Quæstio 1. *Quid Orationis Dominicæ nomine apud Christianos designatur?*

℟. Illa precationis formula, quam ipsa Incarnata Veritas, Christus Dominus noster, Discipulos suos (*a*) id expetentes docuit, ut remotâ gentilium loquacitate, paucis verbis comprehensum haberent quidquid utiliter peteretur.

Q. 2. *Estne igitur inter omnes orationis formulas hæc una cæteris excellentior?*

℟. Est procul dubio præ cæteris omnibus longè excellentissima, dignitate, utilitate & brevitate. *Dignitatem* habet ab unigenito Filio Dei, æterna illa sapientia Patris, qui eam suâ auctoritate stabilivit. *Utilitatem* ex meritis ejus, qui nos eam docuit, Mediatoris & Redemptoris nostri : *brevitate* demùm suâ, in septem petitionibus complectitur, quidquid pro obtinendis bonis vel avertendis malis à Divina munificentia salubriter peti potest. Quatuor prioribus bona tùm æterna, tùm temporalia postulamus : tribus postremis mala quælibet deprecamur.

Unusquisque hinc facilè statuet, Divinam hanc Orationis formulam Christianis omnibus debere esse familiarissimam.

Q. 3. *Satisne est illius verba tenere, ut memoriter recitari possit?*

℟. Nullo modo ; sed providendum est, ut præter verba, ipse quoque (*b*) verborum sensus ac-

(*a*) Matth. 6. ℣. 9. Luc. 11. ℣. 1.

(*b*) Orationem Dominicam explicant Tertull. lib. de Orat. S. Cyprian. Tract. speciali de Orat. Dom. S. Cyrill. Hierosol. Ca-

curatè teneatur, ut ex intellectu nascatur affectus, neque unquam fine sincera animi devotione proferatur. Quò circà necesse est, ut quævis illius verba penticulatiùs expendantur.

Q. 4. *Quid igitur nobis innuit illa Dominicæ Orationis præfatio* : Pater Noster, qui es in Cœlis?

℟. His verbis ingeneratur nobis petendi impetrandique fiducia, dùm *Patrem* nuncupamus eum à quo beneficia postulamus : simul in memoriam revocatur illa ineffabilis Dei bonitas, quâ *Pater noster* dici & esse vult, rerum omnium Creator omnipotens, ille qui nullius rei indigens, solâ naturæ suæ gloriâ est felicissimus

Q. 5. *Quo sensu Deum Opt. Max. hoc loco* Patrem nostrum *appellamus?*

℟. Partim quidem ob (*a*) *creationem*, quâ nos ad imaginem & similitudinem suam à se conditos, indefinenti providentiâ sustentat, gubernat ac dirigit : partim verò ac præcipuè ob (*b*) *adoptionis* illud ineffabile beneficium, quo nos gratuitâ per Jesum Christum misecordiâ (*c*) per lavacrum regenerationis in filios suos assumpsit, ut simus secundùm spem heredes regni, ejus, coheredes autem Christi.

Q. 6. *Cur verò cùm singulariter quisque oramus*, *Patrem* nostrum *potiùs quàm* meum *dicimus?*

℟. Ut in spiritu charitatis & communionis Sanctorum orare nos meminerimus, non de propria dumtaxat, verùm etiam de aliena salute solliciti. Admonentur etiam, qui secundùm seculum aliis

tech. 5. Mystagog. S. Chrysost. Hom. de Orat. Dom. item in *cap.* 6. Matth. S. Hieron. in Matth. S. Aug. Epist. 121. nunc 130. ad Probam cap. 11. Item lib. 2. de Serm. Dom. in monte & Enchirid. cap. 115. &c. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9. &c.

(*a*) Deuteron. 32. ℣. 6. (*b*) 1. Joann. 3. ℣. 1.
(*c*) Tit. 3. ℣. 7.

ditiores

ditiores aut genere clariores sunt, cùm Christiani facti fuerint, non extolli adversùs pauperes atque ignobiles, cùm simul indies dicant Deo : *Pater noster* ; quod isti verè ac piè dicere nequeunt, nisi se horum fratres esse sincerè ac libenter agnoscant.

Q. 7. *Cur cùm ubique sit Deus, hic* in Cœlis esse *potissimùm dicitur* ?

℟. Tametsi majestate & potentiâ cœlum & terram Deus impleat, specialiter tamen *in Cœlis* eum esse dicimus, tùm quia hæc est excellentissima universi portio, ubi & supremum gloriæ suæ thronum constituit, & thesauros benignitatis suæ electis amicis felicissimâ profusione communicat; Tùm etiam, ut memores *Patrem Patriamque* nos habere cœlestem, (*a*) ab hujus exilii peregrinatione ad illam sempiternæ habitationis nostræ civitatem desideria nostra transferamus, ut unà cum Apostolo verè possimus dicere : (*b*) *Nostra* jam *conversatio in cœlis est*.

Q. 8. *Quid postulamus primâ illâ petitione* : Sanctificetur Nomen tuum ?

℟. Petimus, ut Deus, qui naturâ suâ inviolabiliter sanctus est, ità ut illius sanctitati quæ undequaque infinita est accedere nihil possit, nihil decedere : talis quoque à nobis agnoscatur : ut nunquam nostrâ perversitate spernatur, sed ab omnibus hominibus, modis omnibus colatur, adoretur, ac diligatur.

Paucis itaque hisce verbis, infidelitatis, hæreseon, schismatum, blasphemiarum, cæterorùmque criminum, abolitionem, veram deindè pœnitentiam, vitam Deo dignam, atque indesinentem in virtute profectum, nobis aliisque postulamus.

(*a*) Heb. 13. ℣. 14. (*b*) Philip. 3. ℣. 20.

Q. 9. *Quæ debet esse animi nostri dispositio, ut hanc orationem, eâ quâ par est sinceritate, proferamus?*

℞. Summus in nobis debet esse horror blasphemiæ, perjurii, cæterorumque criminum, quibus Divini Nominis majestas profanatur: ingens deinde sollicitudo, ut quod lingua loquitur, cor & vita confirment, dum tales quisque mores exhibet, qui per se in Dei gloriam tendant, cæterosque ad illius cultum & obsequium provocent. (*a*) *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

CAPUT VI.

De Secunda petitione: ADVENIAT REGNUM TUUM. *Item de Tertia:* FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CŒLO ET IN TERRA.

QUæstio 1. *Quotuplex* Dei Regnum *in Scripturis S. reperitur expressum?*

℞. Triplex: ac 1. quidem *Regnum naturale*, quod omnipotenti rerum omnium creatori prorsùs necessariò competit in res, quas condidit *Regnum tuum Regnum omnium sæculorum* Psalm. 144.

2. *Regnum Gratiæ*, quo per fidem, spem & charitatem regnat Deus in animis justorum, dicente Salvatore: *Regnum Dei intra vos est.* Luc. 17. & Apostolo exponente: *Regnum Dei est justitia, gaudium & pax in Spiritu Sancto* Rom. 14.

3. *Regnum gloriæ*, felicissimum illud & pacatissimum, in quo peccato morteque destructis, (*b*)

(*a*) Matt. 5. ℣. 16.
(*b*) Psalm. 109. ℣. 2. Heb, 10. ℣. 13.

erunt omnes inimici Christi scabellum pedum ejus, eritque electorum omnium securissima immortalitas. De hoc Regno à Salvatore dictum est: (a) *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum*, atque in extremo illo die Electis dicturus est: (b) *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: Esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.*

Q. 2. *Quodnam horum trium petitur advenire, per hæc verba:* Adveniat regnum tuum?

℟. Præcipuè tertium; nam primum, quòd Deo essentialiter proprium est, frustrà peteretur: secundum verò tertiâ petitione postulatur. Hìc ergo desideramus Regnum istud stabile ac perenne, quod nullus ultra metus, nulla unquam sollicitudo perturbat, in quo Deus est (c) *Omnia in omnibus*. Et quidem convenientissimè, ut (d) S. Augustinus monet, nunc omnium Christianorum vota in secundum illum & gloriosum Christi Adventum tendunt; sicut ante *Verbi* incarnationem omnium Sanctorum desideria in primum Christi Adventum tendebant.

Q. 3. *Sed quid opus est petere, ut Dei Regnum istud adveniat, cùm tempore à divina providentia constituto certissimò sit adventurum?*

℟. Regnum illud certissimò quidem adveniet, omnesque (sed non omnes *feliciter*) id experientur: qui enim illius participes facti non fuerint in gloria, ei miserabili necessitate perpetuò subjecti erunt in supplicio. Postulat igitur unusquisque, ut à Dei clementia lætum sibi felixque obtingat, ne inter (e) rejectos hædos, verùm in-

(a) Matth. 7. ℣. 21. (b) Matth. 25. ℣. 34.
(c) 1. Cor. 15. ℣. 28. (d) In Psalm. 118. Serm. 20. num. 1.
(e) Matth. 25. ℣. 32.

ter electas oves in supremi judicii die locum inveniat.

Est porrò Regnum Dei unicuique tam vicinum, quàm vitæ ejus postremus dies, nam talis quisque in extremi judicii die comparebit, qualis ex hac vita migraverit.

Q. 4. *Qualis animo nostro cogitatio obversari debet, cùm hanc orationem proferimus?*

℟. Vitam hanc mortalem non aliud esse quàm brevem transitum ad æternitatem, quæ vel Dei munere felix, vel culpâ nostrâ futura est infelix; momenta proindè singula pretiosissima esse Dei dona, quibus felicitatem numquam finiendam liceat adipisci, si regnum cupiditatis magis ac magis indies in nobis destruentes, ad Regnum illud gratiæ & gloriæ indesinenti desiderio anhelemus.

Q. 5. *Quam Dei voluntatem fieri petimus petitione tertiâ:* FIAT VOLUNTAS TUA?

℟. Illam præcipuè, quâ quid velit à nobis fieri *jubendo* & *prohibendo* manifestat, quæ *voluntas signi* dici consuevit: nam illa *beneplaciti*, quâ absoluto proposito quidpiam decernit fieri, infallibilem habet efficaciam, nihilque est, quod illi resistere possit.

Q. 6. *Ut quid hoc petimus, cùm nostri arbitrii sit divina præcepta servare?*

℟, Sic demùm arbitrii nostri est divina præcepta servare, si auxilio gratiæ suæ Deus aspiret; imbecilitatem ergo nostram & insufficientiam, magnamque ad malum pronitatem agnoscimus, ac idcirco Dei auxilium imploramus, ut ipso præveniente, protegente, & adjuvante, sanctissimæ voluntati ejus per omnia nos subdamus, operantes bona, & mala devitantes, ut jam non ultra sectemur concupiscentias carnis, voluntatem

propriam aut ſuggeſtiones ſatanæ, ſed ad Dei nutum ac beneplacitum omnes affectus noſtros componamus.

Q. 7. *Nonne & in rebus ceteris atque eventibus divinæ voluntati noſtra ſubdenda eſt?*

℟. Eſt prorsùs, atque id ipſum hoc loco poſtulamus, ut ſupremæ illi providentiæ æquè in adverſis ac in proſperis libenti animo nos ſubmittamus, pleniſſimè perſuaſi Deum O. M. nihil nobis evenire velle, quod non ſit juſtum, ſanctum atque optimum.

(*a*) Hujus rei celebratiſſimum exemplar in patientiſſimo *Jobo* Sacra Scriptura propoſuit, qui non modo poſſeſſionibus, quas habebat ampliſſimas, repentè ad extremam uſque paupertatem exutus, verùm etiam numeroſâ ſobole uno penè temporis momento orbatus, in has gratiarum actionis voces erupit: (*b*) *Sicut Domino placuit, ità factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.*

Q. 8. *Quæ ratio eſt, cur hæc verba adjecta ſint:* Sicut in Cœlo et in terra?

℟. Verbis iſtis obedientiæ modum formamque poſtulamus, ut quemadmodum beati in cœlis Angeli & homines ſpontè & alacriter, atque ex amore, Divino Numini in omnibus obſequuntur, ita nos etiamnùm in terris militantes promptè & ex animo Dei juſſa exequamur, non adæquantes quidem, ſed æmulantes ſupernorum civium alacritatem.

Vocat verò nos Dominus ad exemplar cœleſtium, quòd de iis ne ſuſpicio quidem iniquitatis haberi poſſit: ut à peſſimo multorum more nos revocet; quo cùm de ſervandis Dei præceptis agitur, ad mortales homines officii ſui im-

(*a*) Vide lib. Job. primis præſertim capitibus.
(*b*) Job. 1. ℣. 21.

memores ac prævaricatores, oculos convertentes, delinquentium multitudine se tuentur ; quasi multitudo operantium iniquitatem, non peccati sit aggravatio, sed transgressionum excusatio.

CAPUT VII.

De 4. petitione : PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. *Item de 5* DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

QUæstio 1. *Quid* PANIS *nomine 4. petitione postulamus ?*

℟. Hæbræâ phrasi *Panis* Nomine intelliguntur ea omnia, quæ ad vitam tuendam ac sustentandam sunt necessaria ; at illa præcipuè hic postulantur, quæ ad vitam animæ promovendam pertinent, nimirum verbum Dei, sacrosanctum Domini Corpus, ceteraque salutifera Dei dona, quæ ad bene beatèque vivendum pascunt, confirmantque hominem interiorem.

Duobus itaque modis panis iste, quem flagitamus, à Sanctis Patribus sumitur, sive pro necessitate victus corporalis rerumque temporalium sufficientiâ, sive pro necessitate spiritalis alimoniæ.

Q. 2. *At cur* Panis *potiùs quàm alterius rei nomen expressum est?*

℟. Tùm quia more sacris Literis usitato, *Panis* nomine universa præsenti vitæ necessaria continentur : tùm quia panis ; alimentum ut simplicissimum, ità maximè necessarium, præ ceteris aptus est nos monere, ut ex rebus hisce terrenis sola quæ necessaria sunt appetamus, & juxtà Apostoli monitum, (*a*) *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.*

(*a*) 1. Tim. 6. ℣. 8.

Q. 3. *Cur quisque etiam privatim orans nostrum potiùs quàm* meum *dicit?*

℟. Ut fraternæ charitatis memor, suam quoque ad alios curam proferat, & quæ à Dei benignitate munera perceperit, noverit non esse sibi soli avarè retinenda, sed largâ manu egentibus communicanda.

Q. 4. *Cur Panem* quotidianum *petimus?*

℟. Quia quotidianæ necessitates nostræ quotidianâ Dei subventione indigent. Prætereà hâc voce *quotidianum*, unà cum postrema hodiè, admonentur Christiani immodicam temporalium futurarumque rerum sollicitudinem à se abdicare, totamque curam transferre in Patrem illum Cœlestem, qui & (*a*) corvorum pullos nutrit & cetera animantia sustentat.

Q. 5. *Ergone omnis temporalium rerum sollicitudo Christianis est interdicta, ità ut in otio & desidia vita illis sit transigenda?*

℟. Minimè verò: anxiam dumtaxat illam, ac diffidentem de divina providentia sollicitudinem auferre à nobis Salvator voluit, cùm vetuit ne in crastinum solliciti simus. Munus suum quisque cum pace & tranquillitate animi exequi debet securus de paterna Dei providentia, cui inniti debet omnis humanus labor & industria; (*b*) *aperit* enim *manum suam & implet omne animal benedictione*: (*c*) *nisi* verò *Dominus ædicaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

Q. 6 *Etiamne opus est, ut qui divitiis opibusque abundant, indies dicant Deo:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

(*a*) Psalm. 146. ℣. 9. Matth. 6. ℣. 26. & seqq. Psalm. 54. ℣. 23. (*b*) Psalm. 144. ℣. 16. (*c*) Psalm. 126. ℣. 1.

℟. Eſt planè opus, ut omnes nemine dempto, ſe Dei mendicos eſſe, illiuſque nutu non minùs temporalia quàm ſpiritualia bona diſpenſari agnoſcant. Poſtulare igitur debent etiam divites, non ut habere incipiant, ſed ne habere deſinant quod jam habent; nam ubi ſupremæ Providentiæ viſum eſt, à ſumma opulentia ad extremam paupertatem velox prònuſque eſt tranſitus, id quod ipſo eventu ſæpenumerò comprobatum eſt.

Q. 7. *Quid in petitione quinta* DEBITORUM *nomine, quæ dimitti petimus, ſignificatur?*

℟. Ex Evangelio S. Lucæ (*a*) liquidò patet *Debitorum* nomine *peccata* intelligi, cùm in Oratione Dominica pro *debitis* [quâ voce Matthæus uſus eſt] diſertè *peccata* expreſſerit.

Ceterùm *peccata* vocantur *dibita*, quia Divinæ Juſtitiæ obſtringunt hominem, debitoremque conſtituunt pœnæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro perſolvendæ.

Q. 8. *Quid igitur hàc quintâ petitione poſtulamus?*

℟. Ut quidquid indies delinquimus, id ſuâ clementiâ condonet, deleat & expurget Deus.

Q. 9. *Hæccine Oratio à juſtis quoque indies recitanda eſt?*

℟. Eſt omninò: nam ſine levibus ſaltem offenſis hæc vita non ducitur (*b*) *in multis* enim, Jacobo Apóſtolo teſte, *offendimus omnes.* Agnoſcere itaque debent omnes ſe peccatores eſſe, & Divinâ per Jeſum Chriſtum miſericordiâ quotidie indigere, alioquin, (*c*) *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*, inquit Joannes Apoſtolus.

(*a*) Luc. 11. ℣. 4. (*b*) Jac. 3. ℣. 2. Prov. 24. ℣. 16.
(*c*) 1. Joan. 1. ℣. 8.

Q. 10. *Quid innuunt verba huic petitioni adjuncta : SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS ?*

℟. Conditionem nobis exhibent, quâ peccatorum veniam à Deo impetrare oporteat, si nimirum & nos ipsi condonemus offensas iis à quibus læsi sumus ; alioquin firma stat sententia Salvatoris : (*a*) *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester Cœlestis dimittet vobis peccata vestra.*

Q. 11. *Quo pacto autem oportet aliis dimittere debita, ut à Deo nobis dimittantur nostra*

℟. Dimittere oportet ex animo, ita ut irrogata nobis injuria pro infecta habeatur, omnisque animi rancor & indignatio supprimatur, quod tùm maximè faciendum est, cùm qui injuriam fecit culpam agnoscit, & veniam deprecatur, Res quidem ardua inimicos diligere, sed Christianis propria, quibus & (*b*) exemplùm Christi propositum est, & (*c*) promissio facta, ità fore eos filios Dei, Patri suo similes, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Qui porrò duri & in vindicandis injuriis obstinati sunt, hi seriò cum animo suo reputent hæc Spiritûs Sancti verba : (*d*) *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam ? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur ? Ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo ? Quis exorabit pro delictis illius ?*

(*a*) Matth. 6. ℣. 15.
(*b*) Luc. 23. ℣. 24.
(*c*) Matth. 5. ℣. 45.
(*d*) Eccli. 28. ℣. 3. 4. & 5.

CAPUT VIII.

De sexta petitione ; ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM : *item de septima :* SED LIBERA NOS A MALO.

QUæstio 1. *Quid in sexta petitione* TENTATIONIS *nomen denotat ?*

℞. Illam hominis vexationem, quâ variis modis ad deserendam justitiam, Deique legem violandam instigatur. Quod quidem extrinsecùs fit, & intrinsecùs.

Q. 2. *Quomodo* extrinsecùs ?

℞. Extrinsecùs hominem tentat *diabolus*, tùm per se tùm per impios, suo obsequio mancipatos, dum arduam divinæ legis difficultatem insinuat : dum nequitiam docet, suadetque : dum perversa sensibus mentibusque exempla objicit ; denique dum vafris suggestionibus prava in animis desideria multipliciter excitat. Quare meritò dictum est ab Apostolorum Principe Petro : (*a*) *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

Q. 3. *Unde tentamur* intrinsecùs ?

℞. *Unusquisque tentatur concupiscentia sua abstractus & illectus*, inquit (*b*) Jacobus Apostolus, Est scilicet in nobis ex *originali* culpa *fomes peccati*, qui ad agonem in ipsis quoque baptizatis remanet, qui ad immoderatas quidem sensuum voluptates nos præcipuè inclinat, sed tamen omnes animæ vires ita pervasit atque infecit, ut ad reliqua etiam vitia non parùm propensi simus. Ita verissimè dictum est ; (*c*) *Militia est vita hominis super terram.*

(*a*) 1. Pet. 5. ℣. 8. (*b*) Jac. 1. ℣. 14. (*c*) Job. 7. ℣. 1.

Q. 4. *Etiamne Deus hominem* tentat ?

℟. Si *tentationis* nomen eo modo sumatur, quo jam explicatum est, nefas est cogitare, sic à Deo optimo ac benignissimo, cui (*a*) odio est impius & impietas ejus, tentari hominem. (*b*) *Nemo ergo cùm tentatur dicat quoniam à Deo tentatur*, inquit Jacobus Apostolus, nam inviolabili isti sanctitati non minùs adversum est ad malitiam tentando prouocare, quàm provocari.

Q. 5. *Quo sensu igitur subinde in Sacris Litteris* tentasse *Deus legitur* ?

℟. Non alio, quàm quòd virtutem hominis, fidem atque constantiam, non sibi, sed aliis, eventu ipso fecerit manifestam; sic (*c*) Tentasse *Abrahamum* dicitur, dum illi imperavit ut *Isaacum* filium unigenitum atque charissimùm, sibi immolaret: quod Dei præceptum, ubi pius ille Patriarcha animo promptissimo implendum suscepit, palàm facta est orbi, & in exemplum proposita fides ejus & obedientia.

Q. 6. *Quis ad hujus petionis sensum in tentationem induci dicitur* ?

℟. Is qui pravæ *suggestioni* aut *delectationi consensum* præbet, atque succumbit: tribus quippè gradibus docente (*d*) S. Gregorio magno, ad peccatum ducimur, *suggestione*, *delectatione*, *consensu*. Ut *suggestionem* non patiamur, in nostra plerùmque non est potestate *delectationem*, mox ut exorta fuerit, reprimere Deo juvante possumus & debemus, ità saltem ut *consensum* non præbeamus.

Q. 7. *Quid igitur postulamus hâc sextâ petitione*?

℟. Infirmitatem nostram, divinique auxilii ne-

(*a*) Sap. 14. ℣. 9. (*b*) Jac. 1. ℣. 13. (*c*) Gen. 22. ℣. 1.
(*d*) Hom. 16. in Evang. Vide etiam S. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 23. & lib. 12. de Trinit. cap. 12.

cessitatem agnoscentes, petimus, ut si periculosa tentatio ingruat, eam nos divinâ gratiâ fulti superemus. Tunc itaque Deus *in tentationem inducere* dicitur, quando justo judicio auxilium gratiæ suæ subtrahit, sine quo tentatio non superabitur.

Q. 8. *Quænam inter cæteras juventuti maximè formidanda* tentatio *est*?

℟. Illa, quâ pudicitia & castitas oppugnatur; nam; teste (*a*) *S. Hieronymo*, ignita luxuriæ jacula adversùs adolescentiam prima sunt arma dæmonum. Nôrunt hi scilicet, quàm difficile emergat, qui huic luto semel immersus est. Atque eò major esse debet omnium sollicitudo, ne innocentes animi hujus tentationis pestiferâ labe corrumpantur.

Q. 9. *Quibus armis isthæc tentatio repellenda est*?

℟. (*b*) Principiis fortiter obsistendum est, cum humilitate, divini auxilii fiducia, sobrietate & abstinentia, omniumque illecebrarum & occasionum fugâ. Certa victoriæ spes est si quis suis ipse viribus diffisus totam in omnipotenti Dei benignitate fiduciam collocet.

Q. 10. *Quid postulamus petitione septimâ*: SED LIBERA NOS A MALO?

℟. Petimus, ut hujus sæculi calamitatibus, quibus exercentur etiam pii, non sinat nos Deus perdi & everti cum impiis, sed ut benignitate sitâ nos liberet, quatenùs saluti nostræ congruit, atque ab omni malo, cum corporis tum animæ, sive in hac vita, sive in futura, propitius tueatur.

Agnoscimus ergo bonorum eversiones, exilia, bella, famem, pestem, cæterosque morbos atque

(*a*) S. Hieron. Epist. ad Eustoch.
(*b*) Vide infrà explicat. sexti Præcepti Decal.

miserias sine speciali Dei providentia, justoque judicio nemini evenire, neque ea aliter deprecamur, nisi quatenùs à consequenda salute nos vitio nostro impediunt.

Q. 11. *Cur totam hanc precationem concludimus voce* Amen?

℞. Vox illa Hebræo sermone *asseverationem* continet; proinde dum eâ hoc loco utimur, nostram in orando simul & impetrando fiduciam testificamur, tùm propter Christi, qui non fallit, promissionem; (*a*) *Petite*, inquit, *& dabitur vobis*: tùm propter Patris ergà nos immensam clementiam, & propensam in omnes misericordiam, ut hinc Joannes dixerit: (*b*) *Quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos.*

CAPUT IX.

De Salutatione Angelica.

Quæstio 1. *Quæ hujus* Salutationis, *& precationis origo est?*

℞. Tres partes complectitur hæc Precatio Prima originem habet ab Angelo *Gabriële*, qui à Deo missus ad *Mariam Virginem*, nunciaturus Dominicæ Incarnationis Mysterium, his eam verbis affatus est: (*c*) *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Secunda pars desumpta est ex verbis *Beatæ Elisabethæ*, quæ cùm à *Maria* Cognata sua visitaretur, Divini Spiritûs afflatu Matrem Domini sui agnovit ac venerata est, dicens: (*d*) *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

(*a*) Matth. 7. ℣. 7. (*b*) 1. Joan. 5. ℣. 14.
(*c*) Luc. 1. ℣. 28. (*d*) Luc. 1. ℣. 42.

Tertia pars, quæ dignissimæ Matris invocationem continet, ex antiqua Fidelium devotione profluxit.

Q. 2. *Quis primæ partis sensus est :* AVE MARIA GRATIA PLENA, DOMINUS TECUM ?

℟. Hæc Angelicorum verborum vis est atque sententia : gaude & exulta, dignissima Virgo, quòd Divinæ munificentiæ largitate, gratiæque ubertate præventa, rerum omnium Domino singulari nexu conjuncta sis.

Q. 3. *Quid sibi vult secunda pars :* BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI?

℟. Hoc nempè indicat : Sanctissimam hanc Virginem, præ cæteris omnibus mulieribus, inusitatos Divinæ dilectionis effectus percepisse, dùm à (*a*) veteri *maledicto* immunis, semperque illibata, sine dolore concepit, gestavit & peperit, talem Filium, qui sicut in tempore est homo, ita ab æternitate est Deus.

Q. 4. *Quid potissimùm cogitare nos convenit, dùm hanc Salutationis partem recitamus?*

℟. Gratâ animi recordatione venerari oportet Ineffabile Dominicæ Incarnationis Mysterium, quod olim pro nostra salute in hujus Virginis utero Divinâ virtute peractum est.

Q. 5. *Quid volunt verba sequentia :* SANCTA MARIA, MATER DEI, ORA PRO NOBIS PECCATORIBUS, NUNC ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ?

℟. Mariam supremæ dignitatis titulo venerantes, MATREM DEI dicimus, quòd ejus Filii Mater sit, qui non tantùm Homo, sed simul Deus est. Persuasi deindè potens esse illius apud Deum Patrocinium quam tanto ipse favore dignatus

(*a*) Gen. 3. ℣. 16.

est, nec dubitantes, quin sanctissima Christi Mater, benignissimæ quoque ergâ nos Matris partes gerat, intercessionem ejus cùm fiducia imploramus, ut nos variis peccatis obnoxios, quovis tempore protegat; at præcipuè in *hora mortis*, quando & periculosior est conflictus, & æternitatis alea jacienda est.

Q. 6. *Estne ordinata Fidelium devotio, quâ ad honorem Virginis Matris, precationem Angelicam una cum Oratione Dominica, certo numero aliquoties repetunt, quod* Rosarium, *aut* Psalterium *Virginis vocant?*

℞. Est utique devotio jam pridem salubriter instituta, atque à Beato *Dominico* propagata, tùm omnibus, tùm rudioribus præsertim utilis, ut præcipua vitæ, mortis & glorificationis Christi Mysteria recolant. Nam cùm quindecim Decades *Psalterium Virginis* complectatur, prioribus quoque, totidem gaudia sanctissimæ Matris accommodata sunt, quibus illa ex his quæ circà humanam Christi naturam contigerunt, affecta fuit, nimirum *Annuntiatio* Dominicæ Incarnationis, *Visitatio* Elisabethæ, *Nativitas* Domini. *Oblatio* Christi in Templo; *Inventio* Pueri Jesu inter in Doctores.

Decadibus quinque sequentibus memoria celebratur quinque Mysteriorum Passionis Christi, quæ sunt. *Oratio* & *Captivitas* Domini in horto: *Flagellatio*: *Coronatio*: *Bajulatio Crucis*: *Dolores* Cruce tolerati.

Postremis quinque Decadibus recoluntur quinque Mysteria gloriosa, quæ post Christi Domini mortem consecuta sunt, videlicet: *Resurrectio* Domini: *Ascensio* ejus in cœlos: *Adventus Spiritûs Sancti* in Discipulos: *Assumptio* Virginis


Deiparæ : ac denique in *Cœlesti vita* gaudium ejus sempiternum.

Q. 6 *Cur manè, meridiè ac vesperi campanæ pulsæ ad salutationem Angelicam Fideles excitantur?*

℟. Id eo præcipuè intuitu laudabilis usus instituit, ut iis diei temporibus gratam in nobis Dominicæ Incarnationis memoriam renovemus, cùm tanta sit illius beneficii magnitudo, ut perpetuò ob oculos versari debeat homini verè Christiano. Hinc ea partim Ecclesiæ, partim Evangelii verba unà cum peccatione Angelica recitantur : *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Subjungitur denique Oratio, quâ Dominicæ Incarnationis fructus postuletur : *Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.* De veneratione B. Mariæ Virginis, Festisque in eam rem institutis, vide infrà latiùs part. 3. cap. 18.




PARS TER-



PARS TERTIA.

De Charitate, Præceptis Dei & Ecclesiæ, cæterisque officiis Justitiæ Christianæ.



DE *Fide Speique* virtutibus, quibus spirituale ædificium inchoatur, dictum est hactenùs. Superest, *Charitas*, solum hujus ædificii complementum, (*a*) plenitudo legis, (*b*) vinculum perfectionis, summa justitiæ, quam qui non habet, (*c*) manet in morte; quò (*d*) teste Augustino, refertur quidquid in Sacris Litteris continetur. De hac igitur tam præcellenti, tamque necessaria virtute jam tractandum est, unàque de præceptis, quorum omnium (*e*) finis est Charitas.

CAPUT PRIMUM.

De Charitate Dei.

QUæstio 1. *Quid est* CHARITAS ?

℟. Est Virtus divinitùs infusa, quâ Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur.

Q. 2. *Quotuplex est Charitatis Præceptum* ?

(*a*) Rom. 13. ℣. 10. (*b*) Coloss. 3. ℣. 14. (*c*) 1. Joan. 3. ℣. 14. (*d*) S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 35. (*e*) 1. Tim. 1, ℣. 5.

℟. Duplex, primum & maximum est : (*a*) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Secundum autem simile est huic : *Diliges Proximum tuum sicut te ipsum.* In his duobus mandatis, universa lex pendet & Prophetæ, inquit (*b*) Christus Salvator.

Q. 3. *Quid in primo dilectionis mandato tam multiplici exaggeratione nobis inculcatum Deus voluit?*

℟. Ut Deum, quantùm possumus diligamus, & omnia quæ habemus illi impendamus, quod (*c*) *S. Augustinus* his verbis exposuit : " Cum „ait toto corde, totâ animâ, totâ mente, nul„lam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare „debeat, & quasi locum dare ut aliâ re velit „frui : sed quidquid aliud diligendum venerit in „animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis „impetus currit.„

Q. 4. *Estne hoc Præceptum homini in hâc vitâ servatu possibile?*

℟. Absit ab animo Christiano ut Deum censeat impossibilia præcepisse Est igitur servatu possibile, sed per gratiam Dei, qui ipse (*d*) *Charitas est*, & (*e*) per Spiritum Sanctum charitatem diffundit in cordibus nostris. Idcircò in charitatis definitione dictum est, virtutem esse *divinitùs infusam.*

Ceterùm plenitudini dilectionis, durante hâc vitâ mortali, concupiscentia perpetuò reluctatur; proinde consummata, sine impedimento, charitas, futuro sæculo reservata est.

Q. 5. *Quid est Deum* propter se *diligere?*

(*a*) Luc. 10. ℣. 27. Matth. 22. ℣. 35. Deut. 6. ℣. 5.
(*b*) Matth. 22. ℣. 40.
(*c*) S. Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 22.
(*d*) 1. Joan. 4. ℣. 8. (*e*) Rom. 5. ℣. 5.

℟. Est Deum idcircò diligere, quòd sit fons inexhaustus bonorum omnium, qui omnes in se perfectiones infinito modo possidet, omnique adeò dilectione solus dignus est.

Q. 6 *Quanta est Charitatis* necessitas?

℟. Tanta, ut si ceteræ virtutes adsint, hæc sola desit, istæ ad salutem prodesse non possint. (*a*) *Si linguis hominum loquar & angelorum*, inquit Apostolus, *Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Q. 7. *Quâ consideratione Dei in nobis dilectio accendenda & fovenda est?*

℟. Oportet nos indesinenter memores esse, immensam Dei Majestatem, non modò creaturarum omnium amore dignissimam esse, (*b*) sed id ipsum summum quemdam esse erga nos favorem, quod à nobis diligi velit: cùm creaturæ rationali nihil esse possit gloriosius, quàm si Conditorem suum toto cordis affectu diligat, nihil verò infelicius, quàm si non diligat.

Debet prætereà sibi unusquisque frequenter ob oculos ponere gratuitam illam dilectionem, quâ Deus ipse (*c*) prævênit nos (*d*) *Prior* utique *dilexit* nos, dum ad imaginem & similitudinem suam condidit: *prior dilexit*, dum per unigenitum Filium suum, peccato perditas, reparavit.

(*a*) 1. Cor. 12. (*b*) Vide S. Aug. lib. 1. Conf. cap. 5. (*c*) Psal. 58. ℣. 11. (*d*) 1. Joann. 4. ℣. 10.

Q. 8. *Quo pacto sincera erga Deum charitas probanda est?*

℟. Probatio dilectionis, exhibitio est operis, inquit (*a*) S. Gregorius Quod Christus ipse nos docuit dicens: (*b*) *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Ceterùm varia charitatis indicia & characteres proponit Apostolus his verbis: (*c*) *Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulantur, non agit perperam,* (id est, non est præceps aut temeraria) *non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

(*d*) His verbis Doctor gentium Paulus potissimùm quidem commendat charitatem, quatenùs exercetur erga proximos, per officia hominibus conspicua: sed ex iis deindè, velut ab effectis & signis visibilibus charitatis in Deum invisibilem, à qua nec separari possunt, cognoscendum cuique relinquit, utrùm Deum diligat, necne. (*e*) *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?*

CAPUT II.

De Charitate Proximi & operibus misericordiæ.

QUæstio I. *Quid complectitur Præceptum dilectionis proximi:* DILIGES PROIMUM TUUM SICUT TEIPSUM?

℟. (*f*) Jubet, ut bona omnia quæcumque no-

(*a*) Homil. 30. in Evang. (*b*) Joann. 14. ℣. 21.
(*c*) 1. Cor. 13. ℣. 4. (*d*) Vide Comment. Est. in hunc locum. (*e*) 1. Joan. 4. ℣ 20.
(*f*) Vide S. Aug. lib. 1. de vera Relig. c. 36. item lib. 50. Homil. 31. item Epist. 54. ad Maced. nunc 153.

bis ipsis rectè & propter Deum optamus, eadem quoque proximo nostro simili affectu desideremus, & quantum in nobis est procuremus.

Q. 2. *Quid* proximi *nomine hoc loco intelligitur?*

℟. Quivis homo, ut (*a*) integrâ parabolâ hominis à latronibus spoliati ac vulnerati, nos ipse Salvator noster docere dignatus est. Omnes scilicet ejusdem naturæ participes, ab eodem omnipotenti Deo, ad imaginem & similitudinem ejus, atque ad eumdem finem consequendum conditi sumus.

Q. 3. *Quo ergo potissimùm fine atque intuitu, proximus à nobis diligendus est?*

℟. Eo scilicet, ut aliquando sempiternæ in Deo felicitatis nobiscum particeps fiat. Atque hoc est diligere proximum *propter Deum*, in proximo Deum ipsum diligere, cujus ille est imago: nec alio fine, nisi ut in illo æternum glorificetur Deus.

Q. 4 *Quænam dilectionis proximi nobis præscripta est regula?*

℟. Hæc à Christo proposita est; (*b*) *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Cui similem Tobias senior filio suo præscripsit: (*c*) *Quæ ab altero oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris.*

Q. 5. *Quid ex hac dilectionis Regula de charitatis officiis consequens est?*

℟. Consequens est, nos, quibus possumus charitatis officiis, necessitati, calamitati & indigentiæ proximi debere subvenire; cùm in iisdem rerum circumstantiis constituti, subveniri nobis enixè cupiamus. Hæc charitatis officia, *opera misericordiæ* vocari consueverunt.

(*a*) Luc. 10. ℣. 30. (*b*) Matth. 7. ℣. 12.
(*c*) Tob. 4. ℣. 16.

Q. 6 *Quotuplicia sunt* OPERA MISERICORDIÆ?

℞. Ut duplex est hominis necessitas atque indigentia, altera corporis, altera animæ, ità duplicia sunt opera misericordiæ; alia *corporalia*, alia *spiritualia*.

Q. 7 *Quot & quænam recensentur* Opera misericordiæ corporalia?

℞. Septem recenseri solent, quorum sex priora ex Christi verbis *Matthæi c.* 25. desumpta sunt, septimum ex facto *Tobiæ*, quod in Sacris Litteris singulariter commendatur. Sunt autem, Esurientes pascere: potum præbere Sitientibus: vestire Nudos: Hospitio Peregrinos excipere: Infirmos invisere: Captivos redimere: Mortuos sepelire.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Q. 8. *Quot & quænam recensentur* Opera misericordiæ spiritualia?

℞. Septem pariter recitari solent: videlicet, Peccantes corrigere: Ignòrantes docere: Dubitantibus rectè consulere: pro salute proximi Deum orare: Consolari Mœstos: Ferre patienter Injurias: Offensam remittere.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Consule complectitur doctrinam & consilium.

Hæc porrò opera misericordiæ *spiritualia*, cum præstantiori hominis parti subveniant, *corporalibus* istis sunt excellentiora, annitendumque est, ut quoties corporale charitatis officium proximo impenditur, spirituale etiam aliquod, quoad ejus fieri poterit, adjungatur.

Q. 9. *Cùm singuli omnibus subvenire non possint, quis in impendendis beneficentiæ officiis, ordo servandus est?*

℞. Regulam hanc statuit (*a*) *S. Augustinus*,

(*a*) S. August. lib. 1. de Doctr. Christian. cap. 18.

ut his potissimùm consulamus, qui pro locorum & temporum, & quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs nobis, quasi quâdam sorte, junguntur. Arctiùs autem cuique conjuncti sunt conjux, parentes, liberi consanguinei & affines, superiores, subditi, cives & Amici, quàm extranei, ignoti; & alienigenæ: nisi hi in majori infirmitate & indigentia, nobis consciis, fuerint constituti: etenim major necessitas promptiorem subventionem exigit.

Q 10. *Quis operum misericordiæ fructus, quæ eorum in Sacris Literis commendatio?*

℟. Fructus his verbis Salvatoris exprimitur: (a) *Beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, audituri scilicet à Christo judice: (b) *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi biberi: Hospes eram & collegistis me: nudus & cooperuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere eram & venistis ad me.... Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Verùm sicut (c) Apostolo Jacobo teste, *superexaltat*, atque ad clementiam compellit *misericordia judicium*, ità *judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.* Quapropter extremo illo die, idem judex reprobis dicturus est (d) *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare: sitivi & non dedistis mihi potum: hospes eram & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus & in*

(a) Matth. 5. ℣. 7. (b) Matth. 25. ℣. 34. & seqq.
(c) Jac. 2. ℣. 13. (d) Matth. 25. ℣. 41. & seqq.

carcere, & non visitastis me..... Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Quem ista veritatis ipsius verba non commovent, omnem penitùs sensum amiserit necesse est.

CAPUT III.

De Decalogo, ac præsertim primo illius Præcepto.

QUæstio 1. *Ubinam duo dilectionis Præcepta uberiùs atque explicatiùs continentur?*

℟. In ea lege, quæ à Denario Præceptorum numero *Decalogus* nuncupatur. Ex his decem Præceptis, tria priora ad Dei dilectionem pertinent: posteriora septem ad dilectionem proximi. Hoc autem modo recensentur.

Ego sum Dominus Deus tuus.

1. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi Sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles.*
2. *Non assumes Nomen Domini Dei tui invanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.*
3. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.*
4. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*
5. *Non occides.*
6. *Non mœchaberis.*
7. *Non furtum facies.*
8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

9. *Non concupisces uxorem proximi tui.*
10. *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Q. 2. *Quibus & quomodo illa decem Præcepta primùm data & promulgata fuerunt?*

℟. Præcepta hæc, si arbitrariam tertii determinationem exceperis, ad eam legem pertinent, quæ simul cum natura rationis compote singulorum hominum mentibus impressa ac promulgata est, adeò ut ab hujus legis obligatione nemo rationis particeps possit esse immunis.

Nihilominùs cùm per iniquitatem, & malitiam lex illa in hominum cordibus plurimùm esset obscurata, eam Deus populo à se educto è servitute Ægyptiaca, quinquagesimo ab exitu die, è monte Sinai, inter fulgura & tonitrua & horrificum buccinæ sonum publicavit, descriptamque in duabus tabulis lapideis *Mosi* tradidit, in Arca Fœderis conservandam.

Q. 3. *Cùm per Christi mortem Lex Vetus abolita sit, nonne consequens est, ut hâc lege Christiani minimè teneantur?*

℟. Nequaquam: nam hæc lex ab ipsa natura profecta, immutabilem quovis tempore obligationem retinet, tantùmque abest, ut eam Christus voluerit abrogatam, ut è contrariò eam explicuerit, suâque auctoritate roborârit. Eæ tantùm Veteris Testamenti leges obligandi vim amiserunt, quæ velut umbræ futurarum rerum, positivâ Dei voluntate (*a*) ad tempus dumtaxat correctionis erant impositæ.

Q. 4. *Suntne hæc Dei præcepta homini servatu possibilia?*

℟. Sunt utique non modò possibilia, (*b*) ve-

(*a*) Heb. 9. ℣. 10. (*b*) 1. Joan. 5. ℣. 3.

rùm etiam facilia: nimirum per divinæ gratiæ adjutorium, quod filiis Novi Testamenti largissimâ benignitate per Jesum Christum impertitur Deus.

Q. 5. *Quodnam discrimen est Vetus inter ac Novum Testamentum?*

℟. Qui ad Vetus Testamentum olim pertinebant, ad mandatorum custodiam *timore* compellebantur: qui verò ad Novum Testamentum pertinent, *amore* ducuntur, ut Deo præcipienti obediant, divinique spiritûs suavitate præventi, (*a*) jugum Domini leve sentiunt & suave. (*b*) Brevis ergo utriusque Testamenti differentia est *Timor* & *Amor*. Lex Vetus Tabulis fuit inscripta lapideis, Lex Nova tabulis inscribitur cordis carnalibus.

Q. 6 *Quibus olim verbis primum Decalogi Præceptum à Deo expressum est?*

℟. His verbis: *Exod.* 20. Cap. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra Non adorabis ea neque coles Ego sum Dominus Deus tuus fortis & zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me & custodiunt præcepta mea.*

Q. 7. *In quibus verbis hujus Præcepti vis continetur?*

℟. In istis: *Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me.* Quòd si præ-

(*a*) Matth. 1. ℣. 30.
(*b*) S. Aug. contra Adimant. c. 17. n. 2.

tereà veteri illi populo Hebræo, ad Idololatriam singulariter semper prono, omnem sculptilium, & imaginum usum positivâ atque arbitrariâ voluntate interdixit Deus, id ad Christianos minimè censensum est pertinere, sed cum ceteris antiquæ legis cæremoniis desiisse.

Q. 8. *Quid prohibet hoc Præceptum?*

℟. Prohibet ac damnat *Idololatriam*, quâ honor uni soli Deo vivo & vero debitus ad creaturas aut simulacra transfertur: omnes etiam *observationes superstitiosas* quibus specie Religionis id observatur, quod ad eam minimè pertinet: usum præstereà Artis *Magicæ* aut *Divinatoriæ*: *impietatem* denique eorum qui dictis factisve Deum negant, aut veram Religionem impugnant.

Q. 9. *Quid verè hoc Præceptum à nobis exigit?*

℟. Ut Fide, Spe, & Charitate super omnia colamus, invocemus, adoremus summum illud æternumque bonum, Creatorem Optimum Maximum, Redemptorem ac Salvatorem, omnis gratiæ & gloriæ largitorem, unum & immortalem Deum, qui est super omnia benedictus in sæcula.

Omni ergo animi intentione curandum est, ut nullam prorsus creaturam quantumvis excellentem, nec dictis nec factis ullo unquam tempore pro Deo habeamus; sed solùm unum verum, æternum, immensumque Deum credamus & confiteamur, eique uni *Sacrificium*, & singularem illum summumque cultum, quem Græci *Latriam* appellant, exhibeamus.



CAPUT IV.

De Invocatione Sanctorum, Cultu imaginum & Veneratione Reliquiarum.

QUæstio 1. *Estne primo Decalogi Præcepto contrarius Sanctorum cum Christo regnantium cultus & invocatio?*

℟. Nequaquam; (*a*) nam ut jam dictum est, primo Præcepto prohibetur, ne supremus ille cultus soli æternæ Majestati debitus, ullâ ratione ad creaturam transferatur. Absit autem ut Catholici dum Sanctos venerantur, eos pro diis habeant. Agnoscunt utique non esse aliud, quam Electos Dei Amicos, quos ille gratuitis suæ misericordiæ donis abundantius præventos, in filios adoptaverit, Regnique sui heredes.

Q. 2. *Estne ergo ingens aliquod discrimen inter cultum quem Deo, eumque quem Sanctis impendimus?*

℟. Est sanè immensum; nam Deum Optimum Maximum ut solum fontem ac largitorem bonorum omnium supremo cultu adoramus, ipsique omnia accepta referimus; in Sanctis autem nihil aliud, quàm ipsam Dei potentiam, sapientiam ac bonitatem suspicimus ac veneramur, adeò ut quidquid honoris illis à nobis impenditur, in Deum ipsum totius felicitatis quam possident, auctorem refundatur.

Q. 3. *Quæ verò differentia est* INVOCATIONIS *quâ Deum, ejusque quâ Sanctos invocamus?*

℟. Differentia itidem immensa est: nam precamur Deum, ut ipse vel bona det, vel liberet à malis: à Sanctis autem, quia gratiosi sunt

(*a*) Vide Exposit. Doctr. Cathol. per Bossuetium art. 4.

apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis à Deo impetrent ea quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas admodum differentes: ad Deum enim propriè dicimus, *miserere nobis*, *audi nos*: ad Sanctum, *ora pro nobis*. (*a*) Ita Catechism. Concilii Trid.

Ab hunc itaque sensum reducuntur orationes omnes quae in Ecclesia Catholica ad Sanctos diriguntur, ut in spiritu charitatis & communionis Sanctorum ab iis petamus, ut nobiscum orent, nostrique sint interpretes & deprecatores apud Deum, quo eos officio fungi docet S. Joannes Apostolus in (*b*) Apocalypsi.

Q. 4. *At nonne invocando Sanctos, illis quiddam tribuimus quod Deo soli proprium est, occultarum scilicet animi nostri cogitationum cognitionem?*

℟. Deo soli proprium est latentes animi cogitationes occultaque desideria, immensitate naturae suae, propriâque virtute cognoscere, quod Sanctis nullus Catholicorum tribuit, nec verò sine blasphemia tribui potest. Id unum profitemur, (*c*) quod ab initio Ecclesiae Fideles semper senserunt, bonum esse atque utile Sanctorum patrocinia implorare, quocumque demum pacto illi necessitates nostras ac desideria Deo revelante cognoscant. Et certè Omnipotenti Deo modi deesse non possunt quibus electis amicis suis ea quae voluerit manifestet. Quòd verò ea quae ad ipsos diriguntur desideria, eos jam gloriosos minimè lateant, facilè credet quisquis cogitabit non esse olim dedignatum Deum (*d*)

(*a*) Parte 4. Quis orandus sit.
(*b*) Cap. 8. ℣. 3. Vide etiam cap. 20. ℣. 6.
(*c*) Concil. Trid. Sess. 25. de Invoc. &c.
(*d*) Vide 1. Reg. 9. ℣. 19. 4. Reg. 6. ℣. 12, omnesque Prophetas.

Prophetis adhuc dum in hac terra viventibus, non modò res occultas, sed etiam longo post tempore futuras revelare.

Q. 5. *At nonne saltem Sanctorum ille cultus Mediatori Dei & hominum Christo Jesu injuriam facit?*

℟. Nullo modo: nam ut docet (*a*) Concilium Tridentinum, ad Sanctorum orationes, opem, auxiliumque confugimus, ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est Nihil nisi per unicum *Mediatorem* Dei & hominum Sancti aut orant aut impetrant: nullam proinde Christo injuriam facimus, sed eum in membris suis electisque amicis honoramus, quando fratres nostros, quos ille ceu primitias cœlo intulit, rogamus ut nobiscum & pro nobis orent communem Deum ac Dominum in nomine communis Mediatoris, à quo est omnis salus & redemptio nostra. Quòd si subindè Sancti vocantur *Mediatores*, id latiori sensu intelligendum, quatenùs nostri sunt apud Deum Patroni, multa nobis ob Christi merita, salutaria bona impetrantes.

Q. 6. *Pugnatne cum hoc primo Præcepto usus receptus* IMAGINUM *Christi & Sanctorum?*

℟. Prohibet dumtaxat hoc Præcepto Deus (qua saltem parte ad nos quoque Christianos pertinet) sculptilia & simulacra, quæ adorationis gratiâ à Gentilibus fabricabantur. Illi videlicet ad hæc manuum suarum opera Divinos honores impiâ superstitione transferebant, atque in Idolis spem suam collocabant, cùm igitur receptus Imaginum usus nihil cum ista superstitione commune

(*a*) Concil. Trid. Sess. 25. de Invoc. &c.

habeat, hoc primo Præcepto Christianis neutiquam est interdictus.

Q. 7. *Quid igitur de Imaginum usu docet Ecclesia Catholica?*

℟. Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & Venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in iis Divinitas vel virtus propter quam sint colendæ: vel quòd ab iis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui iis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt veneremur; id quod Conciliorum, præsertim verò Secundæ Nicenæ (*a*) Synodi Decretis, contrà Imaginum oppugnatores est sancitum. Hactenus Conc. Trident. Sess. 25. de invocat.

Q. 8. *Quæ verò Imaginum utilitas est?*

℟. Doctrina est Concilii Trident. per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri & confirmari populum in articulis Fidei commemorandis & assiduè recolendis: tùm verò ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & saluta-

(*a*) Celebratæ an. 787. sub *Adriano I.* Papa & *Constantino VI.* cum matre *Irene* Imp. contrà *Iconoclastas*, qui cum *Leone Isaurico* Imp. ab an. 723. Imagines oppugnare & confringere aggressi fuerant.

ria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum; & ad pietatem colendam.

Q. 9. *At quid dicendum de imagine Dei Patris aut Spiritûs Sancti?*

℟. (*a*) Impium quidem foret, si quis conaretur Divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi posset. At nihil contra Religionem Deive Legem admittitur, cùm SS. Trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, quæ sive in Veteri, sive in Novo Testamento apparuerunt. Nemo enim tam rudis est, ut illâ imagine Divinitatem credat exprimi, sed palàm notum est declarari proprietates aliquas aut actiones; quæ Deo tribuuntur. Veluti cùm ex *Daniële* (*b*) pingitur antiquus dierum in throno sedere, ante quem libri aperti sunt, Dei æternitas & sapientia significatur, quâ omnes hominum & cogitationes & actiones, ut de iis judicium ferat, intuetur. Ità quoque cùm ex Evangelio Actisque Apostolorum sub (*c*) *Columbæ* specie, (*d*) *linguarumque ignearum* Spiritus Sanctus exhibetur, varia illius dona sensibiliter adumbrantur.

Q. 10. *Rectène etiam Sanctorum* RELIQUIIS veneratio impenditur?

℟. Antiquissimus ab omni ævo fidelium usus est, quem sacrosancta Tridentina Synodus retinendum esse decrevit, ut Sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpo-

(*a*) Ex Catechismo Concil. Trid. circa 1. Præceptum Decalogi num. 34. & 36. (*b*) Daniël 7. ℣. 13. (*c*) Matth. 3. ℣. 16. (*d*) 2. Actor. ℣. 3.

ra, par

ra, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur, communi veneratione colantur.

Venerationis ratio est, quòd hæc sacra pignora victimæ olim fuerint Deo per Martyrium aut pœnitentiam immolatæ, viva Christi membra & templum Spiritûs Sancti, atque ab ipso ad vitam immortalem denuò sint suscitanda & glorificanda.

Q. 11. *Quâ compendiariâ ratione demonstrari potest, nihil esse in externo cultu Ecclesiæ Catholicæ, quod divinæ gloriæ sit adversum?*

℟. Hâc unâ, res conficitur: quòd totus iste cultus ex mente & doctrina Ecclesiæ, à Deo incipiat & in Deum desinat. Sicut ergo Suprema illa Majestas quantumvis totum humani cordis amorem exigat, minimè tamen indignatur, si proximum propter Deum diligamus: ità quantumvis omnem sibi honorem & gloriam vindicet, neutiquam tamen improbat honorem illum, qui ex divinæ ejus dignitatis intuitu iis impenditur, quos ipsamet honoravit.

CAPUT V.

De Secundo Præcepto Decalogi: Blasphemiâ: Juramento, Perjurio, & Voto.

2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus cum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.

QUæstio 1. *Quid his verbis prohibetur?*

℟. Omnis abusus divini nominis, eaque præsertim irreverentia, quæ contrà Supremi Numinis Majestatem committiter à *Blaphemis*, *Perjuris*, & per Deum, Sanctos, vel Sacra *temerè jurantibus*.

Q. 2. *Quid vero injungitur?*

R. Ut linguam sollicitè refrænantes, ingentem semper Divinò Nomini reverentiam exhibeamus, juramenta servemus, vota Deo facta non violemus, denique Verbum Dei magnâ cum veneratione tractemus.

Q. 3 *Quid autem est* BLASPHEMIA, *& à quibus admittitur?*

R. Est *Verbum Deo contumeliosum.* Admittitur 1. ab iis, qui cum contemptu aut pertinacia Deo adscribunt aliquid, quod ob infinitam ejus perfectionem illi convenire non potest; ut si quis asserat esse crudelem, auctorem peccati, vel mutationi obnoxium. 2. Ab iis, qui perfectionem aliquam Deo abjudicant; ut si quis neget Deum esse veracem, justum, aut omnipotentem. 3. Blasphemi sunt, qui quod soli Deo proprium est, stultâ adulatione creaturæ tribuunt, ut si quis Regem aliquem vocet omnipotentem. 4. Denique qui in Sanctos contumeliosi sunt, *blasphemis* annumerantur, quia contumelia in Deum ipsum redundat.

Ad primum genus reducitur atrocissima Blasphemiæ species, quâ quis infernali protervià Deo O. M. malum imprecatur, quasi in naturam illam beatissimam malum cadere posset.

Q. 4 *Estne atrox crimen* Blasphemia?

R. Est utique atrocissimum, & tale ut pœnis plerumque visibilibus etiam in hac vita plectatur. Ut cetera exempla taceantur, (*a*) *Sinnacheribi* Regis Assyriorum blasphemia, in caussa extitit, cur ex exercitu ejus unâ nocte centum octoginta quinque hominum millia, Angelo cædente perierint. Vetustæ quoque aliquarum regionum leges justissimè decreverunt, ut Blasphemi lingua

(*a*) 4. Reg. 18. ℣. 35. & cap. 19. ℣. 35.

candenti ferro perforetur, labia præcidantur, ipseque deinde in exilium ablegetur. (*a*) Ultima Narbonensis Synodus Blasphemos excommunicari jubet.

Q. 5. *Estne omne* Juramentum, *quo Divini Nominis testimonium invocatur, hoc præcepto interdictum?*

℟. Nequaquam, nam si Divinum Nomen in testimonium *legitimè* adducatur, non tantùm non profanatur, sed etiam solenni Religionis actu honoratur. Etenim advocando Deum in testem veritatis, aut voluntatis implendi promissum, eum profitemur omniscium, omnipotentem, rerum omnium Gubernatorem, justumque mendacii & scelerum vindicem; quod certè honorificum est, & dignum Deo.

Q. 6. *At nonne saltem Christianis omne juramentum prohibitum est, his Christi verbis:* (*b*) Ego autem dico vobis non jurare omninò.... sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est?

℟. Quod generale interdictum verbis istis minimè contineatur, satis id perpetuus Ecclesiæ usus, Sanctorumque exempla demonstrant, præsertim Doctoris gentium Pauli, qui in suis (*c*) Epistolis Deum aliquoties in testem invocat.

Quod ad Christi verba attinet, cùm consuetum esse Judæis per cœlum per terram, per sanctam civitatem, per caput suum sine justa necessitate juràre, quasi eo pacto Divinum Nomen non pollueretur, hoc Salvator excludere volens, omne juramentum quàcumque formà factum, si temerè fiat, illicitum declaravit, nisi necessitas

(*a*) Celebrata ann. 1609. cap. 8. (*b*) Matth. 5. ℣. 34.
(*c*) Rom. 1. ℣. 9. 2. Cor. 1. ℣. 23. Philipp. 1. ℣. 8.

urgeat, simplici nos assertione aut negatione voluit esse contentos, asserens temerariam jurandi consuetudinem à Diaboli instigatione hominumque malitia & incredulitate fuisse profectam.

Q. 7. *Quas igitur conditiones juramentum exigit ut* legitimè *fiat?*

℟. Has tres: *Veritatem*, *Justitiam* & *Judicium*, ut ex hoc loco (*a*) Jeremiæ 4. cap. colligitur: *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, & in judicio & in justitia.*

Si absit *Veritas*, *perjurium* est. Abest autem si quod scitur, aut dubitatur falsum esse, juramento firmetur; vel si desit animus implendi, quod cum juramento promittitur. *Perjurii* insuper reus est, qui promissionem juramento firmatam ultrò violat.

Justitia sive honestas deest, (*b*) si quis ad perpetrandum malum se juramento obstringat, quod per se non secus ac perjurium grave crimen est, neque ullum obligationis vinculum inducit. Item dum quis sermonem illicitum juramento confirmat.

Judicium verò sive prudentia abest, si absque gravi causa Divinæ Majestatis testimonium invocetur. Quod præcipuè militat contrà impiam illorum consuetudinem, qui penè singulis quas proferunt sententiis, juramentum aliquod ceu sermonis flosculum admiscent; quo fit ut ex assuetudine verum & falsum indiscriminatim jurare soleant. Ne verò temerariæ (*c*) jurationi quisquam assuescat, perpetuò meminisse oportet horum verborum: *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.*

(*a*) Jerem. 4. ℣. 2. (*b*) Marc. 6. ℣. 26.
(*c*) Eccli. 23. ℣. 9.

Q. 8. *Quotuplex est Juramentum?*

℟. Duplex, contestatorium & execratorium. *Contestatorium* est quo Deus simpliciter in testem veritatis vocatur.

Execratorium est quo jurans & Deum in testem vocat, & si fallat, diris se devovet, malumque sibi imprecatur; cujusmodi juramentum in hisce verbis continetur: *Ita me Deus adjuvet, &c.* aliisque similibus.

Utrumque porrò vel *assertorium* est præsentis aut præteritæ veritatis, vel *promissorium* futuræ.

Q. 9 *Dictum est suprà hoc præcepto injungi ut & vota serventur: quid igitur est* Votum?

℟. *Totum* hoc loco nihil est aliud, quàm *deliberata promissio Deo facta, de re ipsi grata.* Hæc eò potissimùm tendit, ut non modò fructus libertatis, sed ipsa etiam radix Divino obsequio consecretur, voluntasque hominis in bono ex se instabilis, felici necessitate firmetur. Sed necesse est, ut promissio sit spontanea, matura ac deliberata, (*a*) *Displicet enim* Deo *infidelis & stulta promissio, sed quodcumque voveris redde: multòque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.*

CAPUT VI.

De tertio Præcepto Decalogi: Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Quæstio I. *Quid sibi vult nomen* Sabbati?

℟. Hebraïca vox est *Requiem* propriè significans: sed ex usu Veteris Legis *Septimum* hebdomadis diem denotat, quòd præcepisset Deus ut eo die Divino cultui singulariter

(*a*) Eccles. 5. ℣. 3. & 4.

intenti, ab omni opere laborioso quietem Israëlitæ agerent; idque ad commemorandam quietem illam, quâ postquam sex diebus Deus universa creaverat, *Septimâ* die novas rerum species producere desiit.

Q. 2. *An ergo hoc Præceptum ad Christianos quoque pertineat?*

℟. Præceptum hoc partim *morale* est, partim *cæremoniale*. Quâ parte *morale* est, ad omnes omnium temporum homines pertinet: quâ verò parte *cæremoniale* est, sub Nova Lege neminem obligat.

Q. 3. *Quid autem continet* morale, *quid* cæremoniale?

℟. *Morale* hoc continet, ut juxtà naturalis Legis præscriptum aliqua saltem temporis nostri portio supremi Creatoris obsequio specialiter deputetur, quam in debito Religionis exercitio, Divinarumque rerum meditatione, & beneficiorum grata recordatione transigamus.

Cæremoniale autem est, quòd in hanc rem diem quemque septimum designaverit Deus: proinde cessantibus veteris Testamenti Cæremoniis, hæc quoque designatio finem habet, perseverante interim principali illâ obligatione, quæ cùm ex naturali jure profluat, à nobis auferri non potest.

Q. 4. *Quis in Sabbati locum sub Novâ Lege dies substitutus est?*

℟. Primus cujusque septimanæ dies ex Apostolica traditione successit, quem nos *Dominicum* dicimus, & singulari religione observamus, quòd illo Christus à morte revixerit. Cæterum observationi diëi *Dominici*, varii per anni decursum *Dies Festi* Ecclesiastica auctoritate adjuncti sunt, pari religione transigendi.

Q. 5. *Quæ hujus additionis est ratio?*

℟. Partim ut statutis diebus præcipua redemp-

tionis nostræ mysteria attentius recolantur: partim ut in Sanctissimæ Matris Virginis, aliorumque Sanctorum memoriâ, suprema Dei bonitas & admiranda potentia celebretur, populusque Christianus ad illorum sequenda vestigia provocetur.

Q. 6. *Quid itaque hoc Præcepto Dominicis, Festisque diebus, Christiano homini faciendum injungitur?*

℟. Vult hoc Præceptum, (*a*) ut dies festi piis operibus transigantur: ut animus tunc adstit curis vacuus, qui se liberè transferat ad cultum interiorem & exteriorem, Deo in fide, spe, & charitate præstandum. Vult ut expediti divina meditemur beneficia, tractemus sacra, oremus & adoremus Deum tùm privatim, tùm publicè cum aliis (*b*) *in spiritu & veritate.*

Q. 7 *Quid autem hoc Præceptum prohibet?*

℟. Prohibet diebus festis laborare, operibus vacare mechanicis, & occupationibus deditum esse profanis: eo nimirùm fine ut otio sancto vacemus, adeundo Templum, & audiendo Ecclesiæ Sacrum seu Missam, & statam Concionem, quemadmodum hoc præceptum observare pii consueverunt.

Q. 8. *Quænam opera maximè* servilia *sunt, Festisque diebus præcipuè vitanda?*

℟. Nulla est tam dira servitus, quàm illa quâ servitur peccato atque diabolo; nulla proinde opera magis servilia, quàm peccata: nam (*c*) *Qui fecit peccatum, servus est peccati.* (*d*) Quapropter omni quidem tempore à peccatis absti-

(*a*) Vide Canisium cap: 3. n. 11.
(*b*) Joan. 4. ℣. 23. (*c*) Joan. 8. ℣. 34.
(*d*) Vide S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.

nendum est, at præcipuè illo, quod divino cultui singulariùs consecratum est.

Q. 9. *Quò tendunt tria priora præcepta quæ hucusque explicata sunt?*

℟. Eò nos instituunt, ut verum sincerumque Deo cultum præstemus, interiorem scilicet & exteriorem, corde, ore, & opere, tum publicè tum privatim.

Reliqua septem quæ deinde sequuntur, præcepta *secundæ Tabulæ* dicuntur, in hoc addita, ut nostrum ergà proximum officium explicent.

CAPUT VII.

De quarto Decalogi Præcepto : HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM, QUAM DOMINUS DEUS TUUS DABIT TIBI.

QUæstio 1. *Quid verbis istis injungitur?*

℟. Ut his, qui secundùm Deum vitæ nostræ sunt auctores, reverentiam, obedientiam, opemque præstemus : nam ad hæc tria omne ipsis debiti officii genus commodè reduci potest.

Q. 2. *Quam* Reverentiam *Liberi debent Parentibus?*

℟. Eam scilicet ut suæ originis memores, post Deum à parentibus se habere agnoscant quidquid sunt, hancque adeò ipsorum excellentiam interiùs exteriùsque venerentur, atque indefessum parentum erga se amorem, sollicitudinem ac vigilantiam, pari dilectione compensent. (*a*) *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quemadmodum & illi tibi* (*b*) *Qui* verò *maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur.*

(*a*) Eccli. 7. ℣. 30. (*b*) Exod. 21. ℣. 17.

Q. 3. *Quam vero debent filii parentibus* obedientiam?

℞. Ut justæ ac rationabili eorum voluntati lubenti animo obtemperent: dumque parentum gubernationi subsunt, illis insciis & invitis nihil unquam majoris momenti aggrediantur. (*a*) *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est*, inquit Apostolus; in quam rem nihil efficacius exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui non modo æterno Patri (*b*) usque ad mortem obediens fuit, verùm etiam (*c*) Matri ejusque Sponso Josepho, ultrò se subditum præbuit.

Q. 4. *Sed quid si parentes illicita atque injusta præcipiant?*

℞. Tunc illa sententia locum habet: (*d*) *Obedire Deo oportet magis, quàm hominibus.* Itemque Salvatoris: (*e*) *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus.* Verùm non facilè credi debet parentes injusta præcipere: cavendumque ne juvenilis ætas debito fræno coërcita, sibi ipsi hac in parte imponat. Quare nihil hìc proprio, at totum prudentis Confessarii judicio tribuat necesse est.

Q. 5. *Quam* opem *debent parentibus filii?*

℞. Ut iis in quavis necessitate versantibus, pro sua facultate subveniant; quod filiorum erga parentes officium cùm Scribæ ac Pharisæi falso pietatis obtentu, perversâque interpretatione subverterent; (*f*) à Christo gravissimè reprehensi sunt. (*g*) *Fili suscipe senectam Patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu,*

(*a*) Ad Ephes. 6. ℣. 1. (*b*) Ad. Philip. 2. ℣. 8.
(*c*) Luc. 2. ℣. 51. (*d*) Act. 5 ℣. 29.
(*e*) Matth. 10. ℣. 37. (*f*) Marc. 7. ℣. 13.
(*g*) Eccli. 3. ℣. 14. 15. & 18.

veniam da, & ne spernas eum in virtute tua..... Quam malæ famæ est qui derelinquit Patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem.

Q. 6 *Cur observationi hujus Præcepti* longævæ vitæ *promissio adjecta est?*

℞. Quia qui pro accepto beneficio se gratum præbet, dignus est cui beneficium conservetur.

Quanti porrò facienda sit paterna *benedictio*, ea præsertim quæ à moribundo, obedienti filio impenditur, exemplo (*a*) Jacobi Patriarchæ & (*b*) filiorum ejus facilè demonstrari potest. *Maledictio* verò quàm sit pertimiscenda, ostendit (*c*) *S. Augustinus* exemplo decem fratrum partim ac sororum, quos cùm Cæsareæ Cappadociæ post patris obitum injuriis irritata mater diris devovisset, toto corpore tremebundi, ad terrorem cæterorum per orbis Romani Provincias dispersi atque vagati sunt. (*d*) *Benedictio Patris firmat domos filiorum: maledictio autem Matris eradicat fundamenta.*

Q. 7. *Soline Parentum nomine hoc loco censendi sunt, qui nos carnaliter genuerunt?*

℞. Nequaquam; sed extensione quàdam eo quoque nomine comprehenduntur omnes, qui dignitate & potestate præcellentes aliquid ad vitæ nostræ regimen sive in politicis sive in Ecclesiasticis contribuunt. Inter quos tamen præcipuè sunt, qui ad æternam vitam suâ gubernatione nos dirigunt, vel excolendo animo nostro, utilibusque disciplinis & monitis imbuendo, sedulam curam impendunt.

Q. 8. *Quid generatim Superioribus debent subditi?*

℞. Idem ferè quod parentibus, *Reverentiam*

(*a*) Gen. 27. ℣. 28. & seqq. (*b*) Ibidem cap. 49.
(*c*) S. Aug. lib. 22. de Civit. Dei. c. 8. (*d*) Eccli. 5. ℣. 11.

erga eorum dignitatem & præcellentiam : *Obedientiam* in licitis & honestis, quæ ad illorum munus pertinent : *Opem* denique & subsidium, ut nempè Prælatis Ecclesiasticis decimas, oblationes, cæteraque quæ iis in sustentationis stipendium assignata sunt, fideliter persolvant : Principibus verò sæcularibus & magistratibus debita tributa minimè subtrahant. (*a*) *Obedite præpositis vestris, & subjacete illis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* (*b*) *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.*

Q. 9. *Quid Discipuli Magistris, & quid vicissim Magistri discipulis præstare debent ?*

℞. Discipulorum erga Magistros officium est, ut eos ceu parentes diligant, honorent atque suscipiant. Tùm præthereà in rebus quæ ad suam institutionem & profectum pertinent, præceptoribus sedulò ac libentèr obtemperent.

Magistrorum autem officium est discipulos ut filios diligere, ad imbecilium captum sesè inclinare, nimium delectum, singularitatem & personarum acceptionem cavere, non solùm doctrinâ sed morum quoque honestate & exemplo præire, doctrinam suam omnem ad Fidei Catholicæ Regulam morumque honestatem accuratè semper erigere, vitia denique non dissimulare, sed rigore mansuetudine temperato disciplinæ vigorem conservare.

Q. 10. *Quodnam est officium famulantium erga Dominos, & quod vicissim Dominorum erga famulantes ?*

℞. Famulantium officium his verbis Apostolus expressit : (*c*) *Servi obedite Dominis carnalibus,*

(*a*) Heb. 13. ℣. 17. (*b*) Rom. 13. ℣. 7. (*c*) Ephes. 6. ℣. 5.

cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino & non hominibus sciemtes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.

Officium autem Dominorum istis verbis exposuit : (a) *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.*

Q. 11. *Quæ denique sunt officia parentum erga filios ?*

℟. Prima parentum cura fit ut proles feliciter nascatur. Proxima ut per lavacrum regenerationis feliciùs renascatur. Vigilandum deindè ne tenella ætas incautè suffocetur, nevè aquâ, igne, vel simili casu pereat, mutiletur, aut deformetur. Matres quoque proprio, si fieri potest, non extraneæ nutricis lacte prolem alere, tùm naturali jure, (b) tùm Ecclesiasticorum Canonum Sanctionibus admonentur : etenim recta filiorum indoles alieno lacte sæpissimè depravatur, & naturalis in parentes amor non parùm degenerat & flaccescit.

Quando jam proles adolescit, parentum officium est, ut statim Fidei morumque Christianorum præcepta per se aut per Pædagogos, teneris mentibus insinuent : Dei timorem & amorem, rerumque cœlestium desideria instillent : ea quæ ad victum pertinent juxta statûs sui conditionem subministrent. Hereditatem denique competentem relinquant, aut artem licitam edocendos curent, quâ vitam honestè transigere possint.

(a) Ephes. 6. ℣. 9. (b) Dist. 5. cap. 4. Ad ejus.

CAPUT VIII.

De quinto Decalogi Præcepto : Non occides.

QUæstio 1. *Quid hoc Præcepto* primariò *prohibetur?*

℟. *Injusta* quælibet *hominis* occisio. Quod verò ad *plantas* & *animalia bruta* attinet, (*a*) *Manichæorum* insania fuit horum esse illicitam cædem aut destructionem ; cum propter homines creata, (*b*) ipsisque à Creatore in cibum concessa sint.

Interim immodica adversùs animantia bruta crudelitas, truculenti animi indicium, quoddamque contra homines sævitiæ tirocinium est. (*c*) *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.*

Q. 2. *At quando hominis occisio* injusta est?

℟. Quoties deliberato proposito absque *legitimâ auctoritate* peragitur. Quod si hæc adsit, innoxia erit cædes, Deo, qui vitæ & necis Dominus est, casus istos suâ lege non complectente. Quapropter neque in bello justo, hostium injusta occisio est, neque in Republicâ, malefactorum, qui legitimâ Principum & Magistratuum auctoritate plectuntur, ad nocentium terrorem, & innocentium securitatem. (*d*) *Maleficos non patieris vivere.*

Q. 3. *Cur additum est :* deliberato proposito?

℟. Quià culpâ vacat, si fortuito casu fiat sine malignitate & negligentiâ committentis. Quod S. *Thomas* (*e*) ad eum quoque extendit, qui in-

(*a*) Vide S. August. lib. 2. de morib. Manich. cap. 15. &c.
(*b*) 1. Tim. 4. ℣. 4. (*c*) Proverb. 12. ℣. 10.
(*d*) Exod. 22. ℣. 18.
(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. O.

justum vitæ invasorem, à quo in certissimum vitæ discrimen iniquissimè adductus est, dum se necessariâ defensione tuetur, *præter intentionem* occidit. Res interim controversa est.

Q. 4. *Complectiturne* injusta *occisio illam etiam quâ quis sibi vitam eripit ?*

℟. Omninò complectitur : neque enim propriæ magis quàm alienæ vitæ quisquam dominus est. Impius ergo est, quisquis injussu Summi Imperatoris ex hujus vitæ statione discedit. Quare si Sancti aliqui mortem sibi conscivisse leguntur, (*a*) id latenti spiritus illius instinctui tribuendum est, qui per eos miracula faciebat.

Q. 5. *Estne homicidium grande peccatum ?*

℟. Gravissimum est, & severissimè tùm in hoc sæculo tùm in futuro puniri. (*b*) Ex Sacris Literis luculenter ostenditur. Et sanè homicidio ille destruitur propter quem conditus est orbis terrarum, ipsaque immensa Dei Majestas in sua quodammodò imagine violatur. Quare gravissimis verbis Deus edixit : (*c*) *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippè Dei factus est homo.*

Q. 6. *Quid præter* homicidium *seu externam cædam hoc quinto Præcepto prohibetur ?*

℟. Prohibetur insuper omnis iniqua violentia, qua corpus & vita proximi læditur. Ita deindè, odium, invidia, rancor, indignatio, & quivis interni affectus ad proximi læsionem animum impellentes. Memorabilis est S. Joannis sententia : (*d*) *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est:* difficilè enim est ut quem quis oderit, non optet extinctum.

(*a*) Vide S. August. lib. 1. de Civit. Dei cap. 21.
(*b*) Gen. 4. ℣. 10. & seqq. &c. (*c*) Gen. 9. ℣. 6.
(*d*) 1. Joann. 3. ℣. 15.

Q. 7. *Quid à nobis hoc quintum Præceptum exigit ?*

Exigit animi mansuetudinem, humanitatem, clementiam, comitatem ac beneficentiam : nimirum ut injuriarum facilè obliviscamur, nec vindictam expetamus, sed ità condonemus invicem offensas, (*a*) sicut in Christo Deus condonavit nobis. Omnem sibi vindictam, nisi quæ in malefactores publicâ auctoritate decernitur, reservatam Deus voluit : (*b*) *Mihi*, inquit, *vindicta, & ego retribuam*. Et Salvatoris vox est : (*c*) *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* (*d*) *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? Nonne & publicani hoc faciunt ? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis ? Nonne & ethnici hoc faciunt ?*

Q. 8. *Cum ex invidiæ odium, ex odio homicidium consequatur, quid de* invidia *censendum est ?*

℟. Crimen esse non parùm execrandum, si in re magnâ versetur, atque ex animo deliberato procedat ; nam præterquam quod ab omni charitate & humanitate remotum est, homines etiam dæmonibus persimiles reddit. (*e*) *invidiâ* enim *diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Sed justo Dei judicio suum sibi supplicium est invidia, quæ ex alienæ felicitatis intuitu, invidentis animum indesinenter excruciat.

(*a*) Ephes. 4. ℣. 32. (*b*) Heb. 10. ℣. 30.
(*c*) Matth. 1. ℣. 29. (*d*) Matth. 5. ℣. 46. & seqq.
(*e*) Sap. 2. ℣. 24. & 25.

Q. 9. *Quibus præcipuè considerationibus sibi quisque persuadere poterit, ut injurias contemnat, suosque etiam inimicos diligat?*

R. Deo aspirante utiles esse poterunt hæ sequentes.

1. Christianæ vocationi nihil esse tam adversum, quam iram, odium, invidiam, cæteraque hujusmodi, quibus & mutua dilectio & humana societas temeratur. (*a*) *In hoc cognoscent omnes*, inquit benignissimus Salvator, *quod discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Si qua ergo (*b*) radix germinare incipiat, conficiantur oculi (*c*) in Auctorem fidei nostræ & consummatorem Jesum, qui in cruce pendens, quod verbis pridem docuerat, re complevit, quando pro suis ipse crucifixoribus (*d*) Deum Patrem deprecatus est.

2. Memorem esse oportet, ut nullum est excelsi animi majus indicium, quàm contemnere injurias, quibus utique plus sibi quàm nobis nocuit, qui intulit; ità nihil esse animi tam abjecti, atque ignavi, quàm privatas injurias persequi.

3. Eâdem omnes origine sati, eumdem habemus Creatorem ac Patrem, ejusdemque Salvatoris sanguine redempti sumus, qui ut essemus *omnes unùm*, sicut ipse & Pater *unùm sunt*, (*e*) pridiè mortis suæ Patrem oravit. Una quoque nobis omnibus communis est Mater Ecclesia, in qua uno regenerationis lavacro abluti, eodem salutifero pane vescimur, ad eamdem vocati beatitudinem & felicitatem sempiternam.

4. Hujus felicitatis suavissima quædam prægu-

(*a*) Joann. 13. ℣. 35. (*b*) Heb. 12. ℣. 15.
(*c*) Ibid. ℣. 2. (*d*) Luc. 23. ℣. 34. (*e*) Joan. 17. ℣. 22.

statio per

ſtatio per magnam vitæ tranquillitatem in nobis naſcitur, dum excelſo animo injurias contemnimus & libenter condonamus; ex irâ autem, odio & contentione incredibilis totius hominis perturbatio, perpetua cordis convulſio, & funeſta quædam infernalium ſuppliciorum prælibatio, proficiſci ſolet.

CAPUT IX.

De Sexto Præcepto : Non moechaberis.

Quæſtio 1. *Quid hiſce verbis primariò prohibetur ?*

℟. Adulterium, deindè quævis alia fornicatio, omniſque impura libido externò opere conſummata.

Q. 2. *Quid prætereà ?*

℟. Prohibentur inſuper omnia quæ luxuriam, carniſque libinem irritare ac fovere nata ſunt, ut verba obſcæna, cantilenæ inhoneſtæ, aſpectus, tactus, geſtuſque impudici.

Q. 3. *Suntne hæc omnia gravia peccata ?*

℟. Quidquid animo ſatis deliberato hac in parte admittitur, gravi culpâ vacare non poteſt. Non tamen omnia ſunt æquè gravia, ſed inter varias luxuriæ ſpecies dantur quidam veluti malitiæ gradus, ità ut una ſit longè execrabilior alterâ ; & quidem inter ceteras abominandæ turpitudinis ſpecies, non infimum locum tenent peccata quædam occulta & *muta*, quæ ſine teſte & arbitro, ſed non ſine grandi flagitio perpetrantur, in oculis ejus, qui ſcrutatur corda & renes, & occulta conſiderat. (*a*) *Nemo vos ſeducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

(*a*) Epheſ. 5. ℣. 6.

Ceterùm monet Apostolus, (*a*) ab omni hac spurcitiâ tam alienos esse oportere Christianos, ut si fieri potest, ne quidem audiatur aliquando nominari ex ore nostro, ne fortè (quod proclive est in hujusmodi vitiis) ex ipso auditu concepta cogitatio carnem commoveat ad concupiscendum.

Q. 4. *Quid de peccatis libidinis eorumque gravitate & pernicie Sacræ Litteræ commemorant?*

℟. Nihil istic tam perspicuum est, quàm ea omnia purissimis Dei oculis vehementissimè displicere. Hæc enim (*b*) universale *Diluvium* provocarunt: hæc cœlestem ignem attraxerunt (*c*) quo *Sodomorum Gommorræorumque* oppida, tremendo posteris exemplo in cineres favillasque conversa sunt: hæc causam præbuere, (*d*) cur pœnè ad internecionem Tribus *Benjamin* deleta fuerit. De his denique Dei nomine pronuntiat Apostolus: (*e*) *Nolite errare, neque fornicarii ... neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores .... regnum Dei possidebunt.* (*f*) *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* Quapropter tremendum væ imminet Christianis, qui non verentur coram Deo & Angelis ejus fœdâ se libidine contaminare, postquam (*g*) corpora membraque eorum Spiritui Sancto, & Christo Domino veluti templa pura in Baptismate consecrata sunt.

Q. 5. *Quæ mala adfert libido?*

℟. Sapientes amentes, & homines pœnè pecudes facit: corpus effœminat, in tabem ac putredinem resolvit, vivumque cadaver efficit. Ani-

(*a*) Ephes. 5. ℣. 3. (*b*) Gen. 6. ℣. 5.
(*c*) Gen. 19. (*d*) Judic. 20.
(*e*) 1. Cor. 6. ℣. 9. (*f*) Heb. 13. ℣. 4.
(*g*) 1. Cor. 6. ℣. 15. & 19.

mum cœlo natum, in cœnum & lutum deprimit: nihil altum, sublime, generosum, serium & se dignum cogitare sinit; ad cætera omnia vitia gradum ac præcipitium facit. Quod præter innumera alia, (*a*) Davidis & (*b*) Salomonis exempla luculenter ostendunt. Ingenium, memoriam, & omnes animi facultates obnubilat, excæcat & obbrutescere facit. Hinc rebus magnis, Reipublicæ Regimini, imò propriæ familiæ administrandæ inutiles plerumque sunt ac inidonei, qui vitiis carnis immersi sunt.

Q. 6 *Quid sextum præceptum à nobis exigit?*

℟. Requirit *fidem* inviolabilem in conjugio: plenam deinde *pudicitiam*, tùm cordis in cogitationibus & desideriis, tùm corporis in lingua, facie, oculis, auribus, tactu, atque in omni demum habitu cultuque exteriore: ut sive soli, sive cum aliis vivamus, non modò luxus & intemperantiæ notam effugiamus, verùm etiam modestiam, frugalitatem, continentiamque sedulò exerceamus.

Q. 7. *At verè quomodo id inter tot tantasque illecebras consequi poterimus?*

℟. Nemo suis viribus tutus est: sed (*c*) qui ex nobis ipsis nihil possumus, confortante Deo possumus omnia. Itaque ante omnia in sinum se divinæ protectionis abjiciat, qui castitatem servare voluerit illibatam. Gula deinde Luxuriæ Mater, abstinentiâ & moderatâ victûs ratione frænanda est. Liberior cum sexu dispari consuetudo, curiosior aspectus, saltationes & tripudia, sermonis, cantûs librorum atque imaginum obscœnitas, non secùs ac perniciosa quædam lues, fugienda sunt. Turpium cogitationum principiis ita

(*a*) 1. Reg. 11. ℣. 15. (*b*) 3. Reg. 11. ℣. 4.
(*c*) Philip. 4. ℣. 13.

obsistendum, ut sine mora mens aliò convertatur: castissimæ Dei Genitricis patrocinium imploretur: adjungatur futuri judicii viva repræsentatio: frequens denique ac devotus pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentorum usus, quo remedio nullum est ad restinguendum libidinis ardorem, potentius atque salubrius.

CAPUT X.

De GULA, *ejusque Remediis.*

CUm tanta sit *Gulam* inter & *Luxuriam* conjunctio, ut hæc ex illa plerumque nascatur, non importunum erit hoc loco de *Gula* tractare.

Q. 1. *Quid est* GULA?

℟. Jam suprà dictum est, esse inordinatam & intemperantem cibi potusque appetentiam.

Q. 2. *Quæ ejus species principales?*

℟. *Crapula & Ebrietas.*

Crapulæ nomine immoderata cibi potusque ingurgitatio denotatur, *abstinentiæ* virtuti contraria.

Ebrietas verò est violenta privatio usus rationis largiori potatione procurata: hæc virtuti *Sobrietatis* adversa est.

Q. 3. *Quid de utraque in Evangelio expressum est?*

℟. Extant hæc memorabilia Christi verba: (*a*) *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa.* Quibus verbis id indicatur, infelicem esse sortem eorum hominum, qui epulis unicè vinoque intenti, (*b*) *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

(*a*) Luc. 21. ℣. 34. (*b*) Job. 21. ℣. 13.

Q. 4. *Quinam isti sunt, in quos ob* Crapulam *suprema illa dies repentina superveniet?*

℟. Ii nempè, qui finem in deliciis cibi & potûs constituentes, ventris causâ omnia faciant, ita ut Apostolicâ phrasi (*a*) venter ipsis pro Deo sit.

Q. 5. *Quibus autem indiciis dignosci poterit sitne aliquis tam perniciosæ* Gulæ *obnoxius?*

℟. Si ob Gulæ voluptatem aliena surripiat, justa debita non persolvat, Ecclesiastica jejunia violet; si ex cibi potusque abundantia ad turpia concitari & plerumque consentire se noverit, nec tamen Gulam frænare decernat: si pér intemperantiam, corporis valetudini grave nocumentum inferat, ac præsertim per fervidiorem potum lentâ se tabe consumat: denique quisquis habet *Crapulâ* cor ita prægravatum, ut vel generalia hominis Christiani munia, vel peculiaria statûs aut conditionis officia enormiter negligat, in statu damnabili ultrò perseverat.

Q. 6. *Quid jam de* Ebrietate *censendum, estne per se grave peccatum?*

℟. (*b*) Certum est mortalis peccati reum esse, qui sciens ac volens *Ebrietatem* contrahit; quod is facit qui animadvertens potum immoderatum esse & rationis usum paulatim evertere, non vult tamen potandi finem facere & abstinere. Id apertè declarat Apostolus, cùm inter cætera peccata, quæ à regno cœlorum excludunt, *Ebrietatem* quoque recenset: (*c*) *Ebrietates, commessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*

(*a*) Philip. 3. ℣. 19. (*b*) S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2. O.
(*c*) Galat. 5. ℣. 21.

Q. 7. *Quâ in re ista Ebrietatis malitia, fœditasque consistit?*

℟. Naturam rationalem gravissimè dedecet, quod quis abundantiori potu rationis usu, utendique potestate se privet; quippe qui id sibi bonum per vim auferat, quo solo animantia bruta præcellit, seque in eam necessitatem ultrò conjiciat, ut mente sepultâ, soli sine rectore sensus vigeant, ad omne flagitium tunc sponte propensi. Denique de Ebrioso verissimè ista Psalmi sententia usurpari potest (*a*) *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: imò belluis ipsis abjectior redditur, quæ naturali saturitate contentæ, præscriptos à natura limites vix excedunt.

Q. 8. *Unde ergo fit ut tam leve apud multos reputetur Ebrietatis peccatum?*

℟. Partim ex vehementi multorum ad hoc malum propensione, quam mirificè adauget inveterata consuetudo, partim ex multitudine delinquentium, quæ suo plerumque exemplo justum peccatati horrorem primùm imminuit, ac deinde sensim extinguit (*b*) "Sed væ peccatis hominum, qui sola inusitata exhorrescimus, usitata verò pro quibus abluendis filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omninò contrà se claudifaciant regnum Dei, sæpè videndo, omnia tolerare, sæpè tolerando, nonnullà etiam facere cogimur."

Q. 9. *Quid statuendum de consuetudine se mutuò provocandi ad æquales haustus?*

℟. Si quis urbanitatis limites prætergressus alios urgere pergat, etiam postquàm propinquum Ebrietatis periculum animadvertit, à gravi culpâ ex-

(*a*) Psal. 48. ℣. 13. (*b*) S. Aug. Enchirid. c. 80.

cusari nequaquam potest : quin & assiduis robustisque potatoribus graviter interminatur Propheta : (a) *Væ qui potentes estis ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*

Q. 10. *Quid homini guloso aut ebrioso potissimùm agendum incumbit, ut aspirante Dei gratiâ à prava consuetudine liberetur?*

℞. 1. Serio attentèque expendat illa Spiritûs Sancti oracula, quibus gulosi & ebriosi gravissimè perstringuntur, quæ suprà ex parte prolata sunt.

2. Perversam consuetudinem, cum sincero emendationis desiderio identidem detestetur, convertens mentis oculos in Christum Redemptorem, qui in terris constitutus famem sitimque perpeti, & jam morti proximus aceto ac felle potari voluit, ut nostram intemperantiam expiaret, nobisque donum temperantiæ mereretur.

3. Omni studio vitandum est, quidquid his vitiis occasionem dedit, ac præcipuè declinanda intemperantium hominum & potatorum societas, qui ad æquales haustus provocare solent, & potitandi finem facere nesciunt. (b) *Noli esse in conviviis potatorum.* (c) *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.* (d) *Luxuriosa res est vinum & tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur non erit sapiens.* Qua in re nota est *S Hieronymi* sententia : Numquam ego ebriosum hominem castum putabo.

(a) Isai 4. ℣. 22.
(b) Proverb. 23. ℣. 20.
(c) 1. Petr. 5. ℣. 8.
(d) Proverb. 20. ℣. 1.

T 4

CAPUT XI.

De septimo Decalogi præcepto : NON FURABERIS.

QUæstio 1. *Quid generaliter hoc præcepto interdicitur?*

℟. Prohibetur omnis rei alienæ illicita contrectatio, usurpatio, atque detentio, per furtum, rapinam, usuras, lucra injusta, dolum malum, & quosvis contractus iniquos, quibus fraterna charitas læditur, proximusque fraude circumvenitur.

Q. 2. *Quid est* FURTUM, *quatenùs à Rapina distinguitur?*

℟. Est *injusta & occulta rei alienæ contrectatio eo invito, ad quam rei dominium pertinet.* In eo differt à *Rapina*, quod hæc sit *manifesta & violenta alienæ rei contrectatio, sciente & invito Domino.*

Q. 3. *Recense præcipua hominum genera, qui ob fraudulentam alienæ ei contrectationem* Furti *rei sunt.*

℟. 1. Fraus omnis quæ in *Emptionibus* & *Venditionibus* cæterisque hujusmodi contractibus admittitur, ad furtum pertinet : sive merces vitiosæ vendantur pro integris, aut suprà justum pretium : sive mensura aut statera dolosa adhibeatur (*a*) *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.*

2. Furti rei sunt *operarii*, qui mercedem integram pro dimidiata aut negligente admodum opera deposcunt.

3. Reipublicæ deinde aut juventutis *Rectores*, ac disciplinarum omnium *Magistri*, qui publicis

(*a*) Proverb. 12. ℣. 1.

ſtipendiis aut mercede fruuntur, neque interim ſui muneris partes diligenter adimplent.

4. *Filii Familias*, qui à parentibus occultè ſurripiunt vel aſtu doloque emungunt, quod in comeſſationes, luſus aut ſcortationes effundant.

5. *Famulantes* qui ab heris ſuis clanculò nonnulla ſubducunt, (*a*) etiamſi id faciant prætextu compenſandæ operæ ſuæ, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt.

6. Qui, cum non egeant, ementitâ mendicitate quod veris pauperibus deſtinabatur, emungunt.

7. Qui monetam publicam abradunt aut adulterant, in quos Reſpublica gravi ſupplicio meritò animadvertit.

8. Deniquè univerſim omnes, qui fraude ac dolo ab ignorante, juſtèque invito Domino quidpiam extorquent, aut iniquè detinent.

Q. 4 *Recenſe ſimiliter nonnulla hominum genera qui ob injuriam, violentiæ æquiparandam*, Raptoribus *accenſendi ſunt*.

℞. 1. Raptores ſunt qui vi aut malis artibus *mercedem operariorum* defraudant. Quod quidem crimen adeò exoſum eſt Deo, ut (*b*) vindictam in cœlum clamare dicatur.

2. Qui decimas & juſta tributa pendere detrectant.

3. Principes & Toparchæ, Ductores militum & Gubernatores, qui vel iniqua vectigalia injuſtaque onera imponunt, vel quovis modo indebitas à ſubditis contributiones extorquent.

4. *Iniqui judices*, ceterique apud judicum tribunalia laborantes, qui muneribus excæcati, optimas miſerorum cauſas evertunt.

(*a*) Prop. 37. inter 65. Innoc. XI.
(*b*) Jacob. 5. ℣. 4. Deut. 24. ℣. 15. Lev. 19. ℣. 13. Tob. 4. ℣. 15.

5. Qui frumentorum suppressione annonæ caritatem inducunt; vel aliter iniquis *Monopoliis* Reipublicæ gravamen adferunt.

6. Qui in creditorum fraudem, foro cedunt.

7. Qui nimiâ duritie & immiti severitate, debitores pauperes propemodum excoriant.

8. *Fœneratores* illi sive *Usurarii* qui ex pecunia mutuò data lucrum captant, atque omnes denique qui per apertam vim à quocumque iniquè aliquid auferunt.

Q. 5. *Estnè ergò* Usura *illicita*?

R. Prorsùs omni jure interdictum est ex pecuniâ mutuò data, lucrum captare. Si sine tuo damno petenti mutuum succurrere possis ac velis, gratuitò facias necesse est, ne alioquin ex re aliena lucrum facias, nempe ex pecunia, cujus per contractum mutui plena potestas atque *dominium* transfertur in alterum (*a*) *Mutuum date*, inquit Christus, *nihil inde sperantes*. Apud *Ezechiëlem* (*b*) autem *usura* inter detestanda crimina recensetur, quæ qui fecerit *morte morietur*, *& sanguis ejus in ipso erit*, id est, damnationi spontè se reddet obnoxium.

Q. 6. *Cùm multa sint pallia, quibus* usuræ *fœditas & injustitia velari solent, quæ Regula sequenda est, ut detracto furto latens* usura *faciliùs detegatur*?

R. Quisquis alteri pecuniam tradit eo pacto, ut vel ad libitum, vel certè ad constitutum tempus repetere possit, atque interim præter sortem percipiat aliquid, quod pretio æstimari solet, non alio titulo quàm quòd in alterius commodum pecunia concessa fuerit; quocumque demùm nomine contractus nuncupetur, *mutuum* cum illicito *fœnore* dedisse convincitur.

(*a*) Luc. 6. ℣. 35. (*b*) Ezech. 18. ℣. 13.

Q. 7. *Estne* Furtum *item* Rapina *grave peccatum?*

℟. Prorsùs utrumque *per se* est peccatum mortale, nisi res ablata sit admodum levis & exigui valoris: nam Apostolo teste, (*a*) *Neque fures..... neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Quæ porrò quantitas ad furtum mortale præcisè requiratur ac sufficiat, incertum est: quamquam inter omnes convenit paucos florenos sufficere. Quo major debet esse omnium sollicitudo ut vel à minutis furtis abstineant, maximè cùm hâc in parte non tam res quæ aufertur, quàm animus furantis reum quemque coram Deo constituat. Quare qui furtis quantumvis minoris paulatim ditescere, vel ad summam notabilem pervenire contendit, mortali peccato jam inde obstrictus est.

Q. 8. *Visum est quid hoc septimo, præcepto prohibeatur, dic jam quid à nobis exigat.*

℟. Exigit, ut in omni commercio atque negotio, humanæ societatis jura inviolatâ æquitate serventur, proximique utilitas, sicubi sese offerat occasio, ope nostrâ promoveatur. Quod quidem facilè unusquisque perficiet, si menti altè insculptam gerat, istam æquitatis & dilectionis Regulam: (*b*) *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

CAPUT XII.

De Restitutione *ob Furtum & Rapinam.*

QUæstio 1. *Quænam obligatio Furto & Rapinæ cæterisque injustitiæ generibus indivulsè connexa est?*

(*a*) 1. Cor. 6. ℣. 10. (*b*) Matth. 7. ℣. 12.

℟. *Obligatio restituendi* quod ablatum est, & reparandi damnum quod illatum est Celebris est sententia S. Augustini: (*a*) *Si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest & non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Q. 2. *Ex solane* injustitia *hæc obligatio nascitur?*

℟. Non; verùm eidem obligationi obnoxius est quisquis rem alienam, tametsi sine injuria possidet, adeò ut vero illius Domino reddenda sit, ubi ille innotuerit. Hinc duo in scholis statuuntur *tituli* ad Restitutionem obligantes, *injustæ acceptionis*, & *rei acceptæ*.

Q. 3. *Quid faciendum illi qui rem aliquam non ita pridem perditam invênit?*

℟. Sedulam diligentiam adhibere debet, ut illius verum Dominum deprehendat, remque illi integram restituat: alioquin nota est S. Augustini sententia: (*b*) *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.*

Quod si post debitam inquisitionem, justamque temporis moram, Dominus rei nullo modo innotescat, id quisque velle censendus est, ut res amissa cedat in pauperum, aliosve pios usus, in quos proinde justâ cum cautelâ expendenda erit. Atque idem servandum erit, quoties aliquis sibi conscius rem alienam à se possideri, nescit interim cui restituenda sit.

Q. 4. *Extra hunc casum* incertitudinis, *cui* restitutio *facienda est?*

℟. Illi ipsi ad quem res noscitur pertinere, vel si vitâ functus sit, legitimo heredi ejus Ne-

(*a*) Epist. 54. nunc 153. ad Macedonium.
(*b*) Serm. 178. vel 19. de Verbis Apostoli cap. 6. Deut. 22. ℣. 3.

mo ergo existimet à restitutionis onere sese liberum fore, si quod novit hujus aut illius esse, in eleëmosynas distribuerit. Non enim de alieno, sed de proprio, liberalitas exercenda est.

Q. 5. *Quo tempore* Restitutio *facienda est?*

℟. Quamprimùm fieri potest, ne alioquin voluntariâ, in iniqua rei alienæ detentione, animus perseverans, majoris indies in proximum injuriæ reus fiat.

Q. 6. *Soline illi qui* per se *damnum atque injuriam intulerunt, ad restitutionem obligantur?*

℟. Præter illos obligantur etiam, quicumque ad inferendum proximo nocumentum operam contulerunt, illiusve quovis modo causa extiterunt. Hi verò memoriæ causâ, vulgaribus istis versibus exprimi solent:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans.

Id est, qui jubendo, consulendo, consentiendo, adulando, receptando, participando, vel negligendo impedire aut revelare, cùm ad id ex officio aut ex contractu teneretur, in alienum damnum *influit*, is deficiente *principali*, suo ordine ad damni reparationem obstrictus est; imò *jubens*, utpote principalis, ad eam primo loco obligatur.

Q. 7. *Quid si res quæ furto ablata est, perierit?*

℟. Ne sic quidem à restitutionis onere fur eximitur: tunc quippe pretium rei æquivalens restituendum est, unâque reparandum, quidquid dominus rei eâ occasione damni sustinuit.

Q. 8. *Sed quid si damnum datum, defectu facultatum, reparare nequeat qui intulit?*

℟. Si totum nequeat, saltem partem restauret: si ne hoc quidem possit, seriam equidem habe-

re debet restituendi voluntatem, si unquam adsit opportunitas.

Cæterùm restitutionis obligatio facilè incurritur, sed ægrè & rarò admodùm, sicut oportet, impletur: quippe non minor esse solet retinendi cupiditas quàm acquirendi: ut vel ex hoc capite omnis injustitia vehementer fugienda sit.

Q. 9. *Ex quâ radice prodire solet furtum, rapina, & reliqua in rebus alienis injustitia?*

℟. Interdum quidem ex malignâ in proximum voluntate, quæ in ejus malis exultat: sed plerumque procedit ex *avaritia* perversa illa atque immoderata divitiarum cupiditate, quem (a) *radicem omnium malorum* vocat Apostolus. Morbus est admodum frequens, sed à paucis agnitus, eòque periculosior quò latentius irrepit sub prætextu necessitatis, sive præsentis sive futuræ; magnam interim animo perniciem adferens, dum eum terræ affigit, (b) sementumque verbi Dei suffocat. Quæ causa est cur tam sollicitè Dominus moneat: (c) *Videte & cavete ab omni avaritia.* (d) *Nam qui volunt divites fieri*, (id est, quibus semel animo destinatum est quovis modo ditescere) *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Q. 10. *Quid facto opus ut hæc funesta radix tempestivè resecetur?*

℟. Considerandum seriò id quod ait Apostolus: (e) *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta & quibus tegamur his contenti si-*

(a) 1. Tim. 6. ℣. 10. (b) Matth. 13. ℣. 3.
(c) Luc. 12. ℣. 15. (d) 1. Tim. 6. ℣. 10.
(e) 1. Tim. 6. ℣. 7.

mus. Memores nempè nos esse oportet, vitæ huic quæ veluti quidam transitus est ad æternitatem, pauca ista necessaria esse ac sufficere, eaque sine tantâ animi anxietate, contentione & molestia, quibus ultrò se divites onerant, acquiri posse, cum Incarnata Veritas hæc se adjecturam promiserit illis, qui ante omnia quæsierint Regnum Dei & justitiam ejus.

Alterum quoque adjungi debet, ut sæpè ac libenter eleëmosynas quisque pro facultatum viribus, indigentibus largiatur, Deum orans ut quidquid avaritiæ superest, è corde extirpetur. Et certè non facilè aliena appetet, qui lubenti animo propria impertitur.

CAPUT XIII.

De Octavo Præcepto : Non loqueris contra Proximum tuum falsum testimonium.

QUæstio I. *Dic in Compendio quid octavo præcepto contineatur.*

℟. Omne mendacium, omnisque contra proximum *linguæ* abusus hîc interdicitur.

Injungitur verò ut de proximo, ad ejus defensionem & utilitatem sine fuco, simulatione atque insidiis, benè ac commodè loquatur.

Q. 2. *Dic paulò explicatiùs quinam sint ii* linguæ *abusus præter mendacium qui hôc loco prohibentur.*

℟. Præcipui sunt, susurratio, detractio, contumelia, maledictio, irrisio & adulatio.

Q. 3. *Nonne hoc etiam præcepto prohibita censetur* suspicionum, judiciorumque temeritas?

℟. Planè, iniquæ suspiciones, & temeraria de alienis factis judicia, ad hujus præcepti prohibi-

tionem reducuntur, propterea quòd ab iis interius peractis pullulare soleant pleraque linguæ vitia, quibus fraterna charitas violatur.

Q. 4. *Quid generatim est* MENDACIUM?

℞. Nihil aliud quàm sermo à loquentis animo discrepans. Mentitur igitur, quisquis aliud animo tectum gerens, aliud verbis proloquitur.

Q. 5. *Quid si quis, dum falsa sciens loquitur, aliquid solâ mente subintelligat, quo locutio ad veritatem* restringatur?

℞. Hoc artificio sibi ipsi imponere poterit, sed *mendacii* labem numquam abstergет. Quidquid enim interius restringatur, id neutiquam efficiet, ut verba exteriùs prolata à loquentis mente non discrepent. Etenim in præsenti humanæ societatis commercio, ad declaranda invicem animi sui sensa, sola valent signa sensibilia.

Q. 6. *Quotuplex est* Mendacium?

℞. Distingui solet triplex, *perniciosum*, *officiosum* & *jocosum*.

Perniciosum illud dicitur, quo sive in bonis animi aut corporis, sive famæ aut fortunæ, nocumentum infertur proximo.

Officiosum vocatur illud, quod in proprium aut alienum commodum, sine ullius injuria adhibetur.

Jocosum denique quod joci & recreationis causâ confingitur, sed nulli nocumentum aut commodum adfert.

Q. 7. *Estne omne mendacium semper & ubique illicitum?*

℞. Est prorsùs ex ipsa naturæ lege. Quod quidem omninò perspicuum est de *Mendacio perniciosо*, quatenùs alienum damnum secum trahit,

itâ ut

ità ut hoc (*a*) *ex suo genere* sit peccatum mortale, octavo præcepto primariò interdictum; maximè si quando ob falsum testimonium proximus in capitis discrimen adducitur, aliterve in judicio pericilitatur: quod crimen est longè teterrimum, & suprà modum Deo exosum.

Q. 8. *At quid mali habet mendacium, si alienum damnum semoveatur?*

℟. Omni mendacio humanæ societatis jura & fraterna dilectio violantur. Sic enim à Deo mutua inter homines societas stabilita est, ut dum alter alteri loquimur, arcana mentis nostræ sensa nullis fallaciis involvamus. Tacere quidem licet, & sæpè consultum est, at nunquam fallere aut circumvenire. Et sanè naturali quodam instinctu à nullo ferè hominum genere magis abhorremus, quàm ab iis, qui mendaciis delectantur. Ægrè admodum ferimus, si fallacibus verbis ab alio quopiam decipiamur; quod unicuique debet satis esse, ut juxta generalem dilectionis Regulam, ipse erga alios mendaciis numquam utatur.

Q. 9. *Nonne & ex alio capite cujuslibet mendacii perversitas elucescit?*

℟. Elucescit utique & ex eo capite, quòd omne mendacium *infinitæ veritati* adversetur: infinita veritas est ipse Deus; omne ergo mendacium, quocumque modo aut fine fiat, adversatur Deo, ac proinde perversum est atque illicitum.

Q. 10. *Quid facto opus, ut à mendaciis constanter quisque abstineat?*

℟. Frequenti ferventique desiderio anniti oportet ad inviolabilem quemdam primæ, sempiter-

(*a*) Dicitur aliqnid *ex genere suo*, vel *ex objecto* esse peccatum mortale, quando per se gravem malitiam involvit, nisi ob levitatem materiæ, vel animi indeliberationem excusetur.

næque veritatis amorem, ut ille sensim in corde radices agat, rebusque omnibus præferatur. Seriâ deinde animi attentione cogitandum est, non alium esse (*a*) mendacii patrem & auctorem, quàm diabolum, qui subdolâ fraude verbisque dolosis, (*b*) primos olim parentes nostros, & universum cum illis genus humanum, in perniciem adduxit. (*c*) *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra*, inquit Apostolus; id est, deposito & abjecto mendacio loquimini quisque quod verum est cum proximo suo, præsertim Christiano; quia nos Christiani sumus invicem membra sub capite Christo. Nimis autem absurdum est, si membra ejusdem corporis mentiendo ac fallendo se invicem lædant, cùm nihil tale contingat in corpore naturali, nisi per insaniam.

Q. 11. *Cum superiùs dictum sit, sub octavi præcepti prohibitione, etiam contineri iniquas adversùs probitatem proximi* SUSPICIONES; *&* TEMERARIA JUDICIA, *quid de iis sentiendum?*

℟. Si ex nullis aut levissimis indiciis animo planè deliberato, proximi probitas in dubium revocetur, aut quod pejus est, firmo animi judicio is condemnetur ut improbus, vel gravis alicujus flagitii reus; non est dubium quin charitas (quæ (*d*) *non cogitat malum*) enormiter violetur, gravisque proximo injuria inferatur, etiamsi illa exteriùs non prodantur.

Q. 12. *Quâ in re consistit istbæc injuria?*

℟. In eo, quòd cùm unusquisque ex præscripto naturalis æquitatis habendus sit bonus donec constet improbum esse, hoc suo jure per teme-

(*a*) Joann. 8. ℣. 44. (*b*) Genes. 3. ℣. 5.
(*c*) Ephes. 4. ℣. 25. (*d*) 1. Cor. 13. ℣. 5.

raria judicia aut suspiciones minimè fundatas iniquè & sine causa proximus spolietur.

Quin & injuriam Deo inferunt temerarii illi alienæ vitæ judices, dum ejus sibi jurisdictionem & judicium quodammodò arrogantes, occultam alieni cordis *intentionem*, & arcana animi consilia, quorum discussio soli Divino judicio reservata est, temerè scrutari ac dijudicare præsumunt. (*a*) *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* (*b*) *Itaque unusquisque nostrum pro se reddet rationem Deo.* (*c*) *Nolite* ergo *ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*

Q. 13. *Ex quo fonte manare solent iniquæ adversùs proximum suspiciones, & temeraria judicia?*

℟. (*d*) Partim ex propriæ vitæ perversitate ac *malitia*, nam qui se novit improbum, idem facilè de aliis opinatur: (*e*) *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat:* partim ex *superbia*, fit enim ut qui in animo suo se super alios esse gestiunt, eos infrà se iniquis suspicionibus deprimant. Partim denique ex *odio* & *invidia* quibus id proprium est ut ea quæ ab aliis bene fiunt, vertant in mala.

Q. 14. *Quomodo ista suspicionum judiciique temeritas & injustitia evitanda est?*

℟. Ante omnia resecari debent radices è quibus illa pullurare solet. Restringenda deinde *levis credulitas.* Tum unusquisque assuescat propriis vitiis considerandis & judicandis occupari potiùs, quàm alienis rebus temerè se ingerere.

(*a*) Rom. 14. ℣. 4. (*b*) Ibid. ℣. 12.
(*c*) 2. Cor. 4. ℣. 5. (*d*) S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3.
(*e*) Eccles. 10. ℣. 3.

Discat aliena facta in meliorem partem interpretari; (a) si factum ipsum excusari nequit, excusanda saltem intentio, puta per ignorantiam, puta per subreptionem, puta bono fine ac scopo contigisse (b) *Nolite judicare, & non judicabimini.*

CAPUT XIV.

De Detractione & Contumelia, aliisque LINGUÆ *peccatis.*

QUæstio 1. *Quod discrimen est* Detractionem *inter &* Contumeliam?

℟. Idem ferè quod inter *Furtum* & *Rapinam.* Est enim *detractio* occulta & iniqua alienæ *famæ*, id est bonæ apud alios existimationis, denigratio. *Contumelia* verò, aperta & manifesta alieni *honoris* violatio, per convicium cuiquam in faciem dictum.

Detractio itaque clanculo grassatur, *contumelia* palàm ingeritur.

Q. 2. *Quid verò est* SUSURRATIO?

℟. Est nequissima detractionis species, quâ inter amicos dissensiones & jurgia seminantur. Quod crimen quam sit exosum Deo, ex 6. capite libri Proverbiorum facilè intelligi potest, ubi dicitur: (c) *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus.* Septimo autem loco ponitur: (d) *Qui seminat inter fratres discordias.*

Q. 3. *Suntne* DETRACTIO *quoque, &* CONTUMELIA *grave peccatum?*

℟. Sunt utique (e) *ex genere suo* peccata mor-

(a) S. Bernard. Serm. 40. in Cant.
(b) Luc. 6. ℣. 37. (c) Proverb. 6. ℣. 16.
(d) Vide etiam Eccli. 28. ℣. 15. usque 19.
(e) Vide Notam ad Q. 7. cap. præcedentis.

talia, adeò ut si res in qua versantur, communi hominum æstimatione sit notabilis, neque desit sufficiens animi deliberatio, charitas & justitia quas debemus proximo, graviter violentur: & quidem *per se* graviùs quam furto; cum bona in quibus proximus detractione & contumeliâ læditur, longè præstantiora sint iis quæ furto auferuntur.

Q. 4. *Deestne sufficiens animi deliberatio, quoties aliquis* EXPRESSE *non intendit alienam famam aut honorem lædere, vel amicitiam dissipare?*

℟. Minimè verò: sufficit enim ut prudenti hominum judicio id velle censeatur; quod tunc contingit, quando sciens & volens hujusmodi verba profert, quæ ex se nata sunt alienam famam aut honorem graviter lædere, vel amicitiam dissecare.

Q. 5. *Estne tùm solùm* detractio *illicita, cum alicui falsi criminis* calumnia *impingitur?*

℟. Nullo modo: sed injusta detractio committitur, quoties occultum proximi crimen, nullâ id exigente necessitate publicâ aut privatâ, vel uni soli viro gravi ac taciturno, revelatur. Quin & injusta detractio est, si quis latentem alterius defectum naturalem, etiam ab omni flagitio separatum, quem interim vulgaris opinio reputat admodum probrosum, temerè in lucem proferat.

Nec porrò is tantùm alienæ famæ noxius est, qui quod narrat firmiter asseverat, sed is quoque qui dumtaxat hæc atque ista à se audita commemorat, si modò prævidere possit ac debeat, non defuturos qui his omnibus (quemadmodum humanæ malignitati consuetum est) adhibituri sint fidem.

Q. 6. *Unde potissimùm augetur detractinis item contumeliæ atrocitas?*

℟. Partim ex dignitate personæ, cui simile

injuriæ genus infertur, ut si parenti fiat, aut Principi, Episcopo aut alteri superiori sive ecclesiastico sive sæculari Partim ex numero ac præcellentia personarum, coram quibus aut convicium ingeritur, aut virulentâ linguâ aliena fama arroditur. Quo ex capite atrocissimum detractionis genus est quod *libellis famosis* undique in vulgus sperfis admittitur.

Q 7. *Soline* detractionis *rei sunt*, *qui aliena vita manifestant?*

℞. Non illi soli, sed quisquis jubendo, hortando, interrogando, aut aliter quempiam excitat ad *obtrectandum*, majoris delicti reus est, quam is qui pravæ illius voluntati obsequitur, parque *onus* incurrit, atque ipse *obtrectator*.

Quin & illi qui *obtrectantes* patienter ac libenter audiunt, alienæ iniquitati consentiendo participant. Tolle audientes, non erunt obtrectantes. Quare S. Bernardi vox est : "Detrahere an „ detrahentem audire, utrum horum damnabilius „ sit non facilè dixero.„ Si igitur auctoritate vales, compesce linguas virulentas : sin minùs, obtrectationes fevero tristique vultu dissipa, & quoad fieri poterit, sermonem aliò diverte.

Q. 8 *Quodnam* ONUS *consequitur detractionem, item contumeliam?*

℞. Consequitur indispensabilis necessitas reparandi damnum, quod alienæ famæ aut honori injustè illatum est, cæteraque incommoda restaurandi, quæ porrò secuta sunt ; usque adeò, ut si quis falsi criminis calumniam seu clàm, seu palam, alteri impegerit, id coram omnibus qui adfuerunt, teneatur agnoscere, &, si ad faciendam fidem opus sit, jurejurando confirmare. Quòd si verum, sed occultum crimen alterius iniquâ obtrectatione propalârit, eâ obligatio-

ne constrictus est, quantùm sine mendacio fieri potest, malam quam audientium animis ingeneravit existimationem, modis omnibus auferre satagat, & si aliter proficere nihil potest, suppliciter saltem ab eo qui læsus est, veniam deprecetur.

Quæ res cùm superbis animis ardua sit, atque aliunde inextricabilibus sæpè difficultatibus implexa, per se solam justum terrorem incutere deberet malignis omnibus obtrectatoribus, contumeliosisque conviciatoribus, qui alienam famam & honorem indignis modis lacerant ac proscindunt.

Q. 9. *Cum inter peccata linguæ octavo præcepto probibita*, Irrisio, Maledictio & Adulatio *superius recensita sint, velim paucis dici quid de iis statuendum.*

R. *Irrisio* quâ quis alium ludibrio habet, ut & ruborem incutiat, & animi pacem ac tranquillitatem conturbet, sæpè ob gravem proximi contemptum, interiorisque tranquilitatis ejus detrimentum, grave est peccatum Enim verò, teste Scripturâ, (*a*) *Parata sunt derisoribus judicia.*

Maledictio, quæ hoc loco denotat *imprecationem mali, quatenùs alicui malum est*, puta, sibi cervices frangat, ut eum diabolus auferat, ut peste pereat, &c. si verè adsit desiderium ac voluntas, ut malum grande hujusmodi alteri eveniat, proculdubiò peccatum est mortale.

Adulatio denique, quâ quis indignum laudibus onerat, tunc præcipuè detestanda est, cùm aliena crimina ceu laude digna prædicantur, vel ex perversâ placendi voluntate, flagitia quæ arguendo emendari forsitan poterant, in ejus qui patravit, aliorumque perniciem excusantur; (*b*)

(*a*) Prov. 19. ℣. 29. (*b*) Ezech. 13. ℣. 18.

Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. (*a*) *Dicentes : pax, & non est pax.*

Q 10. *Quo tandem pacto hæc omnia linguæ peccata tam longè latèque grassantia, devitari poterunt.*

℞. Si seriò quisquis satagat, ut (*b*) *linguæ modicum quidem membrum*, sed volubile & *inquietum*, quod (*c*) *nullus homo domare potest*, divini timoris custodiâ refrænetur. Quem in finem crebrò ardenterque illâ Davidis oratione utendum est. (*d*) *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*, nempe (*e*) *ut non delinquam in lingua meâ.* Qui ad contumeliosa convicia proni sunt, expendant illa Veritatis Incarnatæ verba, in Evangelio : (*f*) *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis* Expendant detractores, illa Spiritus Sancti verba : (*g*) *Abominatio hominum detractor.* Idem, (*h*) *Si mordeat Serpens in silentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit.* Caveantque etiam ii qui ab aliis vitiis procul recesserê, ne in istud velut extremum diaboli laqueum incidant. Nam teste *S. Paulino* Nolano Episcopo : (*i*) Tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut pauci sint, qui illi toto corde renuntient, raròque invenias qui sic vitam suam irreprehensibilem exhibere velint ut non libenter reprehendant alienam. Stat interim inconcussa illa *Jacobi* Apostoli Sententia : (*k*) *Si quis putat se religiosum esse non refrenans lin-*

(*a*) Ezech. 13. ℣. 10. (*b*) Jacob. 3. ℣. 5.
(*c*) Ibid. ℣. 6. (*d*) Psalm. 140. ℣. 3.
(*e*) Psalm. 38 ℣. 2. (*f*) Matth. 5. ℣. 22.
(*g*) Prov. 24. ℣. 9. (*h*) Eccli. 10. ℣. 11.
(*i*) Vide *S. Paulin.* Epist. 14. (*k*) Jac. 1. ℣. 26.

guam suam ... hujus vana est Religio, quantumvis aliundè pietatis speciem præ se ferat.

CAPUT XV.

De Nono & Decimo præceptis Decalogi.

Quæstio 1. *Quid prohibetur nono hoc præcepto* : Non concupisces uxorem proximi tui ?

℟. Prohibetur desiderium eorum, quæ sexto interdicuntur, id est, adulterii, omnisque extrà fines matrimonii venereæ voluptatis. Ne ergo putaremus solam luxuriam externo actu perpetratam illicitam esse, non autem illius concupiscentiam intrà animum retentam, hoc præceptum adjectum est : quod Christus his verbis confirmavit : (*a*) *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Q. 2. *Quæ hujus probibitionis ratio est* ?

℟. Quia juxta Christi doctrinam, (*b*) *de corde exeunt*, hoc est, à voluntatis consensu dimanant peccata universim omnia, ita ut cujusvis actus exterioris nequitia, à solo perversæ voluntatis fonte derivetur.

Q. 3. *Ipsane etiam impura voluptatis cogitatio peccatum est* ?

℟. (*c*) Si hujusmodi cogitatione voluntas se oblectet vel repudiare negligens illi ultrò inhæreat, jam peccati rea est, & quidem gravis si consensus in oblectationem aut cogitationem hujusmodi fuerit satis deliberatus.

(*a*) Matth. 5. ℣. 28. (*b*) Matth. 15. ℣. 10.

(*c*) Vide S. Aug. in Psalm. 143. num. 6. lib. de Serm. Dom in monte c. 12. lib. 12. de Trinit. c. 12. Serm. 97. sive 14. de Verbis Apost. c. 5. S. Gregor. lib. 4. moral. Job. cap. 25. item Homil. 16. in Evang.

Quod si oborta in nobis impuritatis cogitatio minimè placeat, nec præcedente culpâ fuerit procurata, sed eam voluntas confestim repellere satagat, non modò nullum peccatum est, sed abundantioris meriti seges est & materia.

Q. 4. *Licetne alienam conjugem ita concupiscere, ut si fiat vidua sibi uxor obtingat.*

℟. (*a*) Hæc ipsa cupiditas vitiosa & inordinata est, quam si foveas, proclive est ut ultrâ hos limites progressus aut mariti mortem, aut adulterium optes.

Q. 5. *Quid vetatur decimo præcepto :* NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI TUI NON AGRUM, NON SERVUM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINUM, NEC OMNIA QUÆ ILLIUS SUNT?

℟. Iniquum desiderium acquirendi vel retinendi rem alienam *Domino rationabiliter invito :* nempè prohibetur hoc loco interna cupiditas omnis injustitiæ adversùs proximum, in bonis ejus temporalibus, cujus actus exterior septimo præcepto disertis verbis interdicitur : Hæc enim iterum interna voluntatis cupiditas, omnem ipsius iniquitatis externo opere consummatæ malitiam continet : id solùm discriminis est, quòd restituendi obligationem non inducat, si nihil proximo damni reipsâ illatum est.

Q. 6. *Quorsum in Responsione additum est*, domino rationabiliter invito?

℟. Quia non est illicitum alienæ rei desiderium, si optes eam ex justitiæ legumque præscripto, domino consentiente adipisci, puta per emptionem, similemve alium contractum legitimum.

Q. 7. *Qui sunt ii qui præcipuè in hoc decimum præceptum impingunt?*

(*b*) Catech. Rom.

℟. 1. Negotiatores & mercatores qui ad annonæ aliarumve mercium charitatem anhelant, ut ipsi ditescant, de aliorum damno nihil solliciti.

2. Exercituum Duces & milites qui bellum continuari desiderant, ut impunè prædari liceat, quidquid interim innumera miserorum hominum multitudo, quotidianis divexationibus patiatur.

3. Medici qui suis lucris inhiantes morbos multiplicari cupiunt: tardiùsve quàm possent ægris sanitatem procurant.

4. Administratores justitiæ, cæterique in caussis litigiosis laborantes, qui numerum litium optant augeri: exortasve datâ operâ in longum protrahunt.

5. Filiifamilias, qui usque ideò naturam omnem exuerunt, ut parentum mortem concupiscant, quò eorum facultatibus gaudere possint. Atque universim omnes, qui alienæ felicitati, gloriæ, meritis, aut divitiis invident.

Q. 8. *Quid causæ est cur hæc duo postrema Præcepta, quæ ad interna desideria pertinent, cæteris adjicere voluerit Deus?*

℟. (*a*) Ut amputatâ peccatorum omnium radice concupiscentiâ, reliquorum Præceptorum observationem per hæc duo firmaret; neque enim peccatur, nisi voluptatis, pecuniæ; honorisve cupidine. Alienæ *rei cupiditas* facilè gignit *invidiam*, quæ ad *detractionem* & *calumniam* suâ sponte impellit. Nec ferè sunt *falsi testes*, nisi pecuniâ corrupti. Qui proximi *vitam invadit*, vix aliundè eò incitatur, nisi ut rebus ejus potiatur, vel voluptatis, laudisque propriæ obicem auferat. Iisdem de causis & negliguntur *pa-*

(*a*) Vide Catechism. Historic. Cl. Fleuri 2. lect. 30. part.

rentes, & odio sunt, eorumqum mors optatur. Cupiditate lucri dies *divino cultui* consecrati servili labore profanantur, aut voluptatis amore sanctè non transiguntur. *Falsò jurare* compellit avaritia Denique non nisi pravæ cupiditates à *Deo colendo* avertunt, & *charitatem* extingunt. Itaque si veritas duobus ultimis præceptis cupiditates animo evellamus, ad reliqua omnia exequenda facilè nos comparabimus.

Altera quoque ratio adjungi potest, ut scilicet nemo sibi velut innocenti & insigniter probo adblandiatur si ab externo flagitiorum opere abstineat, cùm ex sola desideriorum & affectuum pravitate, justæ Dei vindictæ forsitan sit obnoxius.

Q. 9. *Quo pacto prava desideria reprimenda sunt?*

℟. Puro affectu adhærendum est Deo, qui solus verorum æternorumque bonorum fons est indeficiens. Hùc nempe tendunt universa Decalogi Præcepta, ut Deus in omnibus & super omnia diligatur, nihil autem aliud nisi propter eum: quod qui facit, legem implevit. Itaque ut Spiritûs S. Verbis hæc de Decalogo Tractatio finiatur: (*a*) *Elige vitam ut & tu vivas & semen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas. Ipse enim est vita tua, & longitudo dierum tuorum.*

CAPUT XVI.

De Præceptis Ecclesiæ.

QUæstio 1. *Quot recenseri solent præcepta Ecclesiæ?*

℟. Varia quidem sunt sive per Conciliorum aut Summorum Pontificum constitutiones

(*a*) Deut. 30. ℣. 19.

ſtabilita, ſive receptâ pridem conſuetudine introducta: *quinque* tamen ceteris celebriora recenſentur, quæ omnibus ſcitu, & obſervatu ſunt neceſſaria. Sunt autem hæc:

1. *Statutos Eccleſiæ Feſtos dies celebrato.*

2. *Sacrum Miſſæ Officium diebus Feſtis reverenter audito.*

3. *Jejunia certis diebus temporibuſque indicta obſervato.*

4. *Peccata tua Sacerdoti proprio quotannis confitetor.*

5. *Sacroſanctam Euchariſtiam ad minimùm ſemel in anno, idque circà feſtum Paſchæ, ſumito.*

Q. 2. *Debetne Chriſtianus his quoque præceptis ſeduiò obtemperare?*

℟. Debet utique non ſecùs ac Divina præcepta ſuſcipere & ſervare, ea quæ ab *Eccleſiæ Præpoſitis* divino Spiritu dirigente ſalubriter conſtituta ſunt. Nam de his Chriſtus ait: (*a*) *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Monet etiam Apoſtolus *Paulus*: (*b*) *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete illis.* Et de ipſo ſcriptum eſt: (*c*) *Perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum.*

Jam pridem à multis ſæculis, in (*d*) Aerio velut hæretica reprobata eſt illa ejus opinio, quâ leges Eccleſiaſticas nullam conſcientiis obligationem adferre contendebat.

Q. 3. *Quid itaque injungit primum Præceptum Eccleſiæ:* Statutos Eccleſiæ feſtos dies celebrato?

℟. Ut dies Dominicos ceteroſque vel recolendis Fidei noſtræ myſteriis vel Sanctorum me-

(*a*) Luc. 10. ℣. 16. (*b*) Heb. 13. ℣. 17.
(*c*) Act. 15. ℣. 14. & c. 16. ℣. 4.
(*d*) Vide S. Epiphan. Hæreſ. 75.

moriis celebrandis specialiter deputatos, cum abstinentia ab operibus servilibus, sanctè ac piè transigamus.

De Festis diebus mox infrà disertiùs.

Q. 4. *Quid sibi vult secundum Præceptum: Sacrosanctum Missæ officium diebus Festis reverenter audito?*

℞. Præscribit modum, quo Festi dies celebrandi sunt, ut nempè præter abstinentiam ab operibus servilibus, unusquisque integro Missæ Officio cum reverentia & attentà devotione intersit, nisi fortè vel nullo modo, vel saltem sine gravi admodum incommodo interesse non possit.,

Sacrosancta autem Synodus Tridentina mandat Episcopis, ut populum moneant, (*a*) *ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant.* Alioque loco injungit: ut diligenter moneant, (*b*) *Teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Quod malè jam passim videmus esse neglectum.

Q. 5. *Quid exigit tertium Præceptum: Indicta certis diebus jejunia observato?*

℞. Ut in Quadragesima, quatuor anni temporibus, & festorum quorumdam solennium pridianis diebus, quos majores nostri, quòd iisdem temporibus in templis noctu pervigilaretur, *Vigilias* appellarunt, à quibusdam cibis abstineamus, & unicâ in die refectione contenti vivamus frugaliùs.

Q. 6. *Quorsum illa à quibusdam cibis abstinentia?*

℞. "Catholici, inquit *S. Augustinus*, (*c*) quòd „ à carnibus abstinent, edomandi corporis causâ

(*a*) Sess. 22. Decret. de observ. in celeb. Miss.
(*b*) Sess. 24. Ref. cap. 4.
(*c*) Lib. 30. contrà Faust, cap. 5.

„ id faciunt, propter animam ab irrationalibus „ motibus ampliùs humiliandam : non quod car„ nes esse immundas credant. „ Quin hanc immunditiæ persuasionem Catholica Christi Ecclesia semper damnavit, in Judæis, Manichæis & Priscillianistis.

Ecclesiastica itaque jejunia non alio intuitu aut mandantur aut suspicienda sunt, nisi ut carne edomitâ, spirituique subjectâ, religiosior Deo cultus exhibeatur, obedientia exerceatur, digni pœnitentiæ fructus præstentur, ac demùm abundantiora divinæ gratiæ munera percipiantur.

Atque eximii hi jejuniorum fructus, præcipuam rationem continent, cur in Sacris Litteris tam multiplicibus & verbis & exemplis inculcentur, atque ipsemet Christus Salvator affirmet, (*a*) fore ut cùm ipse sponsus discipulis suis maximè dilectis oblatus fuerit, tùm illi, tametsi Spiritu Sancto pleni, jejunaturi sint. *Exhibeamus nosmetipsos*, inquit Apostolus, (*b*) *sicut Dei ministros in multa patientia .... in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* (*c*) *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.*

Q 7. *Quodnam præ cæteris jejunium singulari Sanctorum Patrum commendatione celebratum semper fuit ?*

℟. Jejunium *Quadragesimale*, quod ad exemplum non tantùm *Mosis* & *Eliæ*, sed ipsius etiam Salvatoris nostri, qui 40. diebus in deserto jejunavit, institutum, ex Apostolica traditione manasse (*d*) Patres docuerunt.

(*a*) Matth. 9. ℣. 15. Act. 13. ℣. 2.
(*b*) 2. Cor. 6. ℣. 4. (*c*) Galat. 5. ℣. 24.
(*d*) S. Hieron. ad Marcellam S. Epiphan. hæres. 75. S. August. multis locis, præcipuè Serm. 207. vel 71. 208. vel 72. 210. vel 74.

Ceterùm solenne hoc jejunium ex vetustissimo usu Paschæ præmittitur, ut fideles sacro hoc quadraginta dierum numero, per dignos pœnitentiæ fructus expiati, Paschalem Festivitatem, *in vitæ novitate* digniùs celebrent.

Q. 8. *Estne eadem hodie, quæ fuit olim jejunandi disciplina?*

℟. Nullo modo; sed jejuniorum antiquus rigor benignâ Matris Ecclesiæ conniventiâ, plurimùm hodie est relaxatus. Olim totam pœnè Quadragesimam pane plerumque & oleribus tolerabant. Jejunium ad vesperam solvebatur: quod adhuc suo tempore (id est post annum 1100) in usu fuisse testatur (*a*) *S. Bernardus*. Aliis extrà Quadragesimam jejunii diebus, horâ post meridiem tertiâ rumpebatur. Nulla iis nota erat *collatiuncula*, sive cænula vespertina, quam recentior usus invexit.

Refrigescente charitate, jejuniorum & abstinentiæ fervor paulatim refrixit, ut primùm (*b*) horâ tertiâ, deinde in meridie (prout fit hodiè) jejunium abrumperetur. Sensim etiam lacticiniorum esus in ipsam quoque Quadragesimam irrepsit. Adjunctâ denique cænula vespertinâ; adeò ut minimè existimare quis debeat magnum aliquid se fecisse, si has temperantiæ potiùs quàm rigidioris abstinentiæ leges, utcumque servarit.

Q. 9. *Quinam ab Ecclesiasticorum Jejuniorum lege sunt liberi?*

℟. Quicumque vel ob ætatis aut infirmitatis *impotentiam* vel ob *laboris* necessarii magnitudinem, vel ob *pietatem* in proximos impensam, sine notabili sanitatis dispendio jejunare non possunt. Ob

(*a*) S. Bernard. Serm. 3. de Quadrag.
(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 5.

ætatis in-

ætatis infirmitatem, & necessariam corporis accretionem, eos, qui nondum vigesimum primum ætatis annum expleverunt, cum (*a*) *S. Thoma* communis fidelium sensus à *strictâ* Jejunii lege excusat. Monet ille interim, ad Jejunium adolescentes illos tempestivè esse exercendos, maximè cùm in iis principalis jejunii finis, ob ætatis fervorem ità non raro locum habeat, ut ex ipso naturalis legis præscripto, ferocienti corpori pabulum subducere teneantur.

Etsi ob supradictas causas à jejunii lege immunis quis fuerit, non licebit ei tamen [demptâ magnâ morbi necessitate] carnibus vesci, aliisque cibis interdictis, nisi legitimam superioris dispensationem obtinuerit.

Q. 10. *Quid sibi vult quartum Ecclesiæ Præceptum* : Peccata tua Sacerdoti proprio quotannis confitetor.

℟. Injungit, ut omnes fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno Sacerdoti legitimam auctoritatem obtinenti; peccata omnia mortalia corde sincero, humili ac pœnitenti confiteantur. Quod quidem Præceptum sæpè per anni decursum, sed potissimùm circà Festum Paschæ, ad dignam Dominici Corporis perceptionem, fidelium devotio implere consuevit.

Vide quæ de Sacramento Pœnitentiæ superiùs dicta sunt.

Q. 11. *Quid juxta hodiernum usum injungitur quinto Præcepto* : Sacrosanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno, idque circa Festum Paschæ sumito?

℟. Ut omnes utriusque sexûs fideles, cùm ad

(*a*) 2, 2. q. 147. art. 4. ad 2.

eam ætatis maturitatem pervenerint, ut hujus augustissimi Sacramenti dignitatem agnoscere possint, semel saltem in anno Corpus Dominicum piè sanctèque percipiant, idque in Ecclesia Parochiali sub qua degunt, intrà illud spatium temporis quod Dominicis *Palmarum & in Albis* terminatur : adeò quidem, ut si hanc Communionem annuam ultrò neglexerint, per Ecclesiasticas Sanctiones gravibus pœnis reddantur obnoxii.

De utilitate frequentis Communionis ; ceterisque quæ huc pertinent, vide quæ superiùs dicta sunt de Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT XVII.

De Festis Domini Nostri Jesu Christi ceterisque Ecclesiæ observantiis, quæ istuc reducuntur.

JAm suprà insinuata est ratio, cur præter Dies Dominicos hebdomadatim recurrentes, complures per anni decursum Festivitates, Ecclesiasticâ auctoritate sint institutæ ; nempe ut diversis temporibus diversa religionis nostræ mysteria singulari animi attentione recolantur, Sanctorumque memoriæ ad Dei laudem, nostrumque profectum celebrentur. (*a*) Ut porrò majori cum fructu sacra illa tempora transigantur, non parum utile erit, si quisque perspectum habeat, quo potissimum spiritu in singulorum Festorum institutione ducatur Ecclesia, quæ ejus mens sit, quis scopus. Quod quantâ fieri poterit brevitate, jam discutietur.

Q. I. *Quibus in rebus meditandis occupatur Ecclesia eo tempore, quod* ADVENTUS *dici consuevit?*

(*a*) Vide Catechismum Festorum Illust. D. Bossuetii Episcopi Meldensis. De Festis fusè tractat Azorius Institut. moral. part. 2, lib. 1.

℞. In memoriam revocat priſcorum Patrum vota ac deſideria, quibus olim *Meſſiæ*, id eſt, *Chriſti* Redemptoris *Adventum* indeſinentibus ſuſpiriis flagitabant. Recolit inſuper *S. Joannis Baptiſtæ* prædicationem, quâ ille ad pœnitentiam populum hortabatur, ut eum apparituro propediem *Meſſiæ*, juxtà ſuum *Præcurſoris* officium præpararet. Adjungit etiam recordationem ſecundi *Adventus* Chriſti, quo cum gloria & majeſtate venturus eſt judicare vivos & mortuos, ut ſi necdum *primi* adventus benigniſſimâ bonitate movemur ad redamandum, *ſecundi* ſaltem juſtiſſimâ ſeveritate, commoveamur ad metuendum.

Hoc itaque ex mente Eccleſiæ à nobis exigit tempus iſtud, ut ſancto deſiderio ad Chriſtum ſuſpiremus, eique corda noſtra ſalubri pœnitentiâ alacriter præparemus.

Q. 2. *Quæ eſt mens Eccleſiæ in Feſto* Nativitatis Domini *quod 25. Decembris celebratur?*

℞. Ut fideles cum pia animi gratitudine recordentur Chriſtum Dei Filium, è puriſſimæ Virginis utero, in ſumma paupertate, rigidiſſimâque anni tempeſtate, *pro nobis* in Bethlehem, peregrè, ac in ſtabulo natum eſſe, communique infantilium membrorum imbecillitati ultrò obnoxium, in præſepi reclinari voluiſſe: haud dubiè ut nobis ſuo exemplo paupertatem ac tolerantiam amabiles redderet.

Cæterùm in hâc feſtivitate priſco uſu receptum eſt, ut tres *Miſſæ* ſolemniter celebrentur, quarum prima *ad mediam noctem*, Chriſtum recens natum exhibet, poſitumque in præſepi. Secunda *in aurora* memoriam ingerit Paſtorum, qui angeli monitis Salvatorem natum adorarunt. Tertiâ *horâ diei conſuetâ* nos commonefacit in-

fantem illum, qui in tempore è Virgine natus est, ab omni æternitate Dei Patris filium esse, illi in potentia & majestate coæqualem.

Q. 3. *Quid intuetur Ecclesia* 1. *die Januarii in Festo* CIRCUMCISIONIS DOMINI?

℟. Considerat Christum sacratissimi sui sanguinis primitias fundentem, dum ultrò subit pœnalam illam *Circumcisionis* cæremoniam, quam olim Deus Abrahamo ejusque posteritati imposuerat, futuram quidem signum fœderis à se cùm illo initi, sed unà futuram professionem publicam, originis hominum peccato infectæ: ut ità agnus ille innocens, & impollutus ostenderet idcircò se venisse, ut peccatorum nostrorum pœnam ipse portaret, eaque proprio cruore expiaret. Adorandum deinde *Jesu* nomen illi impositum est, (*a*) ad quod omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Quod porrò nobis *primâ istâ* recurrentis anni die incumbit, hoc est, ut totum illum qui inchoatur annum divinæ gloriæ consecrantes, firmo animi proposito statuamus majori quam ante hàc sollicitudine spirituali cordis circumcisioni, id est pravorum affectuum resectioni, studere imposterùm, Deumque misericordiarum Patrem suppliciter deprecemur, ut quod facere decernimus, ipso donante perficiamus.

Q. 4. *Quid sibi vult Festum* EPIPHANIÆ. *quod* 6. *Januarii peragitur*?

℟. *Epiphania* manifestationem significat Ratio nominis est, quòd eo die tria simul mysteria recolantur, quibus Jesu Christi gloria manifestata fuit, videlicet *Adoratio Magorum*, *Baptismum* quem à Joanne Christus accepit *primumque ejus*

(*a*) Philip. 2. ℣. 10.

miraculum, quo in nuptiis, quibus in Cana Galilææ interesse dignatus est, aquam in vinum convertit.

Magi qui stellæ ductu ex oriente venerunt, ut natum Messiam cum muneribus adorarent, gentilium, id est, nostræ; in Christi agnitione, primitiæ fuerunt; quocircà officii nostri est hoc præsertim die immensæ Dei misericordiæ gratias agere de beneficio vocationis nostræ ad fidem Christianam atque Catholicam: orare, ut & alii eò perducantur: veræ stellæ ductum perpetuò sequi, id est Divinæ inspirationi cum debitâ alacritate semper obsequi: Denique Christo Jesu, in afflictis præcipuè membris ejus, eleëmosynarum munera libenti animo dedicare, potiùs quàm dissolutis conviviis & commessationibus indulgere.

Q. 5. *Quid peculiare habet Dominica quæ* Septuagesima *appellari solet?*

℞. Ab ea Dominica deinceps usque ad Pascha in Ecclesiastico Officio omittuntur cantus, qui præcipuam quandam lætitiæ significationem habent; puta, *Alleluia*, *Gloria in Excelsis*, *Te Deum*. Lugubrior etiam ornatus in templis adhibetur. Primorum denique parentum lapsus eorumque justa punitio nobis ob oculos ponitur. Quæ omnia eò tendunt ut exilii nostri memores, in spiritu pœnitentiæ ad instantem *Quadragesimam* nos præparemus, & ab iis dissolutionibus & excessibus abstineamus, quos ceu veteris paganismi reliquias, antiqui serpentis astutia in Christiani nominis opprobrium, ad nostra usque tempora perduxit.

Q. 6. *Quomodo transigi debet* Quadragesima?

℞. Ecclesiæ spiritus est, ut carnem per abstinentiam macerantes, spiritum ferventiori oratio-

ne & crebrioribus eleëmosynis, subdamus Deo. Tempus istud acceptabile, diesque salutis cum sancta tristitia & gemitu, humilique ac sinceri pœnitentia transigamus. Solito frequentiùs cum docili fide, cordisque compunctione audiamus verbum Dei, mysteria Passionis & mortis Christi serio pietatis affectû meditantes, ingemiscamus & indignemur peccatis nostris quæ tam atroci Filii Dei supplicio causam dedêre. (*a*) *Utamur* demùm *parciùs verbis*, *cibis & potibus*, *somno*, *jocis* : *& arctiùs perstemus in custodia.*

Q. 7. *Cujus rei consideratione occupatur Ecclesia hebdomadá ultimá* Quadragesimæ, quæ HEBDOMADA SANCTA *aut* MAJOR *dici solet?*

℟. Occupatur annua commemoratione *Passionis* & *Mortis* Benignissimi Redemptoris, quâ ille nos olim Patri reconciliavit. Fidelium autem pietati incumbit, ineffabile hoc divinæ misericordiæ Sacramentum, hoc præsertim tempore, totâ cordis gratitudine venerari, Christo patienti strictiori carnis maceratione condolere, Ecclesiasticis Officiis sedulò assistere, seque ad Paschalem illum Agnum Jesum Christum dignè in Eucharistiæ Sacramento comedendum præparare.

Q. 8. *Quodnam est mysterium quod tanta cum solemnitate, tantaque cum lætitia in* PASCHATE *celebratur?*

℟. Gloriosa Christi *Resurrectio*, quâ devictâ morte ad vitam immortalem tertiâ die suscitatus est, non ultrà moriturus. In hujus mysterii suique gaudii professionem, Paschali tempore stantes & erecti orant fideles. In lætitiæ quoque testificationem, tam frequenter resonat Canticum illud gaudii *Alleluia*, id est, *Laudate Deum.*

(*a*) Hymn. Offic. Quadrag.

Paschæ autem nomen à Judæis ad nos translatum, *transitum* sonat, apud illos quidem (*a*) Angeli exterminantis primogenitos Ægyptiorum, & sine cæde *transeuntis* domos Hebræorum, Paschalis Agni sanguine tinctas: apud nos verò, *Transitum* Christi à morte ad vitam immortalem, nostrumque à peccato ad gratiam, ut sicut Christus à mortuis resurrexit, ità nos (*b*) *in novitate vitæ ambulemus*, (*c*) quærentes ac sapientes ea quæ sursum sunt, non quæ super terram, (*d*) nec ultrà in veterem degeneri conversatione redeuntes.

Q. 9. *Quid sibi volunt* ROGATIONES, *quæ publicâ Clericûm populo* supplicatione *fiunt die* S. Marco *sacrâ, tribusque aliis ante* Ascensionem Domini *diebus?*

℟. Sunt publicæ fidelium preces à plurimis seculis salubriter institutæ, ad avertenda à nobis divinæ justitiæ flagella, quæ tot scandalis, ac dissolutionibus, tam enormi luxu & cujusvis pœnè conditionis hominum depravatione, tam frequenti denique divinarum legum profanatione, quasi certatim provocantur. Ad hunc finem per vicos & agros, in publicæ pœnitentiæ testimonium, recitantur *Litaniæ*, quibus Deus in Christi nomine, per omnium Sanctorum suorum intercessionem, supplicitur rogatur, ut mala omnia, ac maximè peccata, à nobis depellat, fructusque terræ jam germinantes, ad plenam maturitatem cœlesti benedictione conservet.

Q. 10. *Quam dispositionem animi exigit à nobis Festum* ASCENSIONIS DOMINI?

℟. Desiderium ac fiduciam consequendæ ali-

(*a*) Exod. 12. ℣. 27. (*b*) Rom. 6. ℣. 4.
(*c*) Coloss. 3. ℣. 1. (*d*) S. Leo. Serm. 1. de Nativ. Dom.

quando gloriæ illius, cujus possessionem pro se, suisque membris, hoc die Christus adiit. Postulat deindè ut vanam omnem, quæ (a) ab hominibus datur, gloriam, contemnentes, illam à Christo præstolemur, quâ (b) *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*; id est, corpus hoc nostrum humile, vile, miseriis & corruptioni obnoxium in eum statum transmutabit, ut sit tale, quale est corpus ipsius gloriosum.

Vide quæ de *Ascensione Domini* dicta sunt Part. 1. Sect. 1. Cap. 23.

Q. 11. *Quod mysterium recolitur die* PENTECOSTES, *quo animo celebrandum est?*

℟. Recolitur Adventus Spiritûs Sancti, quo olim quinquagesimo die à Christi Resurrectione, visibili linguarum ignearum specie in Apostolos aliosque discipulos Domini, descendit, eosque cœlesti fervore accensos & inusitatâ Spiritûs fortitudine roboratos, in novos homines transformavit.

Erat & apud Judæos dies post Pascha quinquagesima, solemni festo consecrata, in memoriam *legis* olim inter fulgura ac tonitrua eo die promulgatæ. Id prætereà ex præscripto legis observabatur, (c) ut panes ex primitiis novæ messis confecti, id temporis Deo offerrentur. Utraque hæc figura per Adventum Spiritûs Sancti impleta est, quando & Apostolorum, omnium gentium linguis loquentium, ore, lex nova, Christique resurrectio promulgata est, & primitiæ credentium (d) (tria nempe hominum millia ad primam Petri prædicationem) Deo consecratæ sunt.

(a) Joann. 5. ℣. 44. (b) Philip. 3. ℣. 21.
(c) Levit. 23. ℣. 10. (d) Act. 2. ℣. 41.

In hâc porrò festivitate septiformis Spiritûs Sancti gratia ardentibus votis ac desideriis flagitanda est, ut nos quoque Apostolorum more in alios homines transmutati, corde impavido & cœlesti amore inflammato, Dei magnalia verbo & exemplo prædicemus.

Q. 12. *Quid observandum est circa Festum* SS. Trinitatis ?

℞. Omnes quidem festi dies ac præsertim Dominici, cultui & obsequio Sanctissimæ Trinitatis consecrati sunt : sed recentiori institutione festum speciale stabilitum est, quo solemniori pompâ majorique devotione incomprehensibile hoc mysterium *Dei Unius & Trini*, fideles venerentur. Ut autem Sanctissimam Trinitatem verè ac fideliter honoremus, modis omnibus anniti oportet, ut sicut inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum indissolubilis est unio per naturam, ita inter nos arctissima sit unio per charitatem : utque inditam nobis Adorandæ Trinitatis imaginem, puram semper, integram atque incontaminatam conservemus.

Q. 13. *Cur tantâ cum pompa & splendore in Ecclesia Catholica celebratur Festum Sacratissimi* Corporis Christi ?

℞. Etsi Feria V. majoris hebdomadæ institutio Eucharistiæ recolatur, quia tamen isto tempore in consideranda potissimùm Christi Passione Ecclesia cum salutari luctu occupatur ; visum est solemne aliud festum instituere, (*a*) quo, in grati animi testimonium, cum apertis lætitiæ signis, tanti beneficii memoria coleretur ; maximè postquam Augustissimum hoc Sacramentum per novatores oppugnari cæptum est. Celebratur igi-

(*a*) Fecit id *Urbanus IV.* Papa an. 1264. Officium Ecclesiasticum illius solemnitatis composuit *S. Thomas Aquinas.*

tur in hâc festivitate victoria, quam columna veritatis Ecclesia, Christo donante, ab hujus Sacramenti hostibus reportavit.

Nostrum porrò est ad dignam hujus solemnitatis celebrationem; sinceram animi gratitudinem, profundamque mentis ac corporis demissionem ac reverentiam adferre, & cœlestem hunc animarum nostrarum cibum cum singulari devotione percipere, ut nostro exemplo alii moneantur, glorificare Deum per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT XVIII.

De Festis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

QUæstio 1. *Quæ est mens Ecclesiæ in Festivitatibus Sanctorum?*

℟. In omnibus Sanctorum cum Christo regnantium Solemnitatibus, hoc ante omnia spectat Ecclesia, ut in Sanctis suis glorificetur Deus O. M., qui illos omnipotenti sua bonitate, *Sanctos*, felicesque effecit. Alterum, quod sibi proponit, est utilitas & profectus noster, quando & Sanctorum exemplis ad parem virtutis æmulationem provocamur, & eorum intercessionibus adjuvamur.

Cæterùm Sanctorum memoriis recolendis plerumque dies ille deputatus est, quo vitam hanc mortalem cum immortali commutarunt, quòd ille sit verus eorum *natalis*, quo terræ denati, cœlo perennique gloriæ nascuntur.

Q. 2. *Quid causæ est cur in Ecclesia Catholica, eam speciali, tamque multiplici devotione præ cæteris Sanctis honoretur* VIRGO MARIA?

℟. In causa est ejus excellentia, dignitasque ipsi soli propria, ac aliis incommunicabilis, ut

sit Mater Dei. Ob hujus nominis prærogativam arctissimâ & sublimissimâ quâdam unione conjuncta est Personis omnibus Sanctissimæ Trinitatis; *Patri*, ob filium utrique communem: *Filio*, quia ejus mater est: *Spiritui Sancto*, quia divinâ ejus operatione fæcundata, ex purissimo suo sanguine Christum concepit. Cùm itaque non dubitemus, quin præ creaturis omnibus hanc Sacratissimam Virginem donorum omnium abundantiâ Deus impleverit, ut dignum Filio Dei habitaculum efficeretur; nullo quoque pacto ambigimus, quin eam à nobis speciali cultu honorari velit Deus, quam ipse tot tantisque modis honoravit. Nec minùs persuasi sumus per ejus potentissimum patrocinium, plurima nobis à Deo bona obvenire, cum per *Mariam* ipsum gratiæ Auctorem, Divina benignitas humano generi impértita sit. *Totis ergo medullis cordium*, (inquit (*a*) S. Bernardus) *totis præcordiorum affectibus Mariam veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariám.*

Q. 3. *Quænam mysteria B. Mariæ Virginis cum solemni festivitate celebrantur?*

℞. 1. *Conceptio* 8. Decembris. 2. *Nativitas* 8. Septembris. 3. *Annuntiatio* 25. Martii. 4. *Visitatio* 2. Julii. 5. *Purificatio* 2. Februrii. 6. *Assumptio* 25. Augusti.

Q. 4. *Quænam est ratio celebrandæ* Conceptionis *Virginis Matris?*

℞. Antiquâ traditione receptum est eam per miraculum è parentibus sterilibus *Joachimo* & *Anna* ortum habuisse. Communis deinde fidelium pietas persuasum habet, Sanctissimam hanc Dei Matrem ob honorem & majestatem Filii ex eâ

(*a*) Serm. 2. de Deipar. Virg. aliàs de aquæductu.

nasciturі, ex ejusdem meritis præservatam fuisse ne in sua *Conceptione*, peccati originalis maculâ contaminaretur. (*a*) In hac porrò festivitate expendere juvabit, partim conceptionis nostræ originali labe infectæ infelicem originem; partim divini muneris largitatem, quo Sanctissimam Virginem mundo dedit, ut ex ea postmodum humani generis Redemptor nasceretur.

Q. 5. *Quo pacto B. Mariæ* NATIVITAS *utiliter celebrabitur*?

R. Si considerantes *Mariam* sine peccato natam, sine omni prorsus peccato vixisse, pauperem, incognitam, humilem, solâque Dei voluntate & beneplacito perpetuò occupatam, hanc ejus admirabilem sanctitatem debito pietatis affectu veneremur, & pro virili nostrâ Deo aspirante imitemur. "Sit vobis (ait (*b*) *Ambrosius*) „ tamquam in imagine descripta virginitas, vi„ taque Beatæ Mariæ, de qua velut speculo, „ refulget species castitatis, & forma virtutis. „ Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius „ eâ quam splendor elêgit? Quid castius eâ, „ quæ corpus sine corporis contagione genera„ vit? Talis fuit Maria, ut ejus unius vita om„ nium sit disciplina. „

Q. 6. *Cujus rei memoria celebratur in Festo* ANNUNTIONIS *Mariæ*?

R. Incarnationis Dominicæ, quam in ejus sacratissimo utero Spiritus Sanctus operatus est, quando Angelo *Gabriële* rem tùm novam Dei jussu nuntiante, Castissima Virgo humilem consensum præbuit, postquàm sine suæ Virginitatis detrimento concepturam se intellexerat.

(*a*) Vide Const. Sixti V. *Cum præexcelsa*; item: *Grave nimis*. Extrav. comm. lib. IV. de Reliq. & Vener. SS. & Trid. Sess. V. de Pecc. Orig. (*b*) Lib. 2. De Virgin.

Nostrum erit pro modulo nostro æmulari virtutes Virginis, quæ in hujus mysterii serie singulariter elucent: admirandum scilicet suæ, *quam voverat*, *Virginitatis* amorem, cui ipsum *Divinæ Maternitatis* honorem pœnè post habuisse videtur: modestrissimam deindè animi demissionem & *humilitatem*, quâ cùm Filii Dei *Mater* eligeretur, se abjectam Domini *Ancillam* profitebatur. Promptam denique *fidem* perfectamque ejus *obedientiam*, quam verbis Angelicis sine hæsitatione adhibuit. At præ omnibus summâ devotione & animi gratitudine recolendum est, ineffabile Dominicæ Incarnationis mysterium, sine quo omnes æternùm perditi eramus, & ex quo omne bonum gratiæ & gloriæ dimanat.

Q. 7. *Quid complectitur festum* Visitationis *Mariæ*?

℟. Memoriam celebrat *Visitationis* illius, quam Sanctissima Dei Mater Divini Spiritûs operatione jam gravida, cognatæ suæ *Elisabethæ*, quæ adhuc cùm *Joannem* Præcursorem Domini utero gestabat, summâ humilitate & charitate impendit; ut *Joannes* etiamnum in materni corporis carcere latitans, Divini Verbi præsentiâ sanctificaretur.

Ut porrò hæc à nobis festivitas utiliter celebretur, opportunum erit magno simul de Dei magnitudine gaudio & profundo humilitatis affectu meditari & recitare divinum illud *Canticum*, quo Virgo Mater, cùm à cognatâ miris præconiis laudaretur, in proprii *nihili* abyssum ultrò se revocans, stupendâ animi dimissione Dei magnalia celebravit.

Q. 8. *Quid exhibet Festum* Purificationis *Virginis*, *& quo animo peragendum est*?

℟. Exhibet Christum in Templo Hierosolymi-

tano semetipsum in manibus Matris æterno Patri offerentem. Exhibet Matrem *pauperum ritu* implentem legem, quâ præscribebatur ut quadragesimo post partum virilem die, duplex in templo hostia offerretur, altera in holocaustum, altera pro peccato; cujus sanè legis ratio ad eam minimè pertinebat. Exhibet justum *Simeonem*, qui Divino Spiritu revelante in templum ingressus, Messiam agnovit, eumque in ulnas suas lætissimus accepit. Exhibet denique *Annam* Prophetissam, sanctissimam Viduam à bonorum operum exercitio mirè commendatam, quæ & ipsa ejusdem Spiritûs instinctu superveniens, Christum omnibus eum expectantibus, prædicavit.

Porrò in hujus festi celebratione inculcantur nobis potissimùm *humilis* erga divinas humanasque leges *obedientia*, exemplo Matris Virginis quæ se legi quâ non tenebatur, ultrò submisit: Vera deindè ac viva *fides* in Jesum Christum, *Lumen* illud *gentium*, quod accensis hodie CEREIS visibili ceremoniâ Ecclesia profitetur: Denique spiritus *oblationis* & *sacrificii*, ut unà cum Christo nos ipsos totos divinis obsequiis & gloriæ consecremus.

Q. 9. *Quid Festo* ASSUMPTIONIS *Virginis celebrandum proponitur?*

℟. Felix Mariæ mors & gloriosa *Assumptio*, quâ cum ingenti totius curiæ cœlestis gaudio, (*a*) *Exaltata est super Choros Angelorum ad cœlestia Regna*; &, ut habet constans fideliùm sensus, non *animâ* solùm verùm etiam (*b*) *corpore* glorificata. Enimverò si Christus à morte resur-

(*a*) Offic. Eccl.
(*b*) Vide Baron. in Notis ad Martyrolog. & in Annal. ad ann. 48. num. 2. & seqq.

gens complures, qui obierant, Sanctos (*a*) ad vitam (ut videtur) immortalem suscitavit, &, unà secum gloriosos in cœlum invexit credine par est minùs eum præstitisse erga tantæ dignitatis Matrem, tanto sibi amore conjunctam? Et sanè Ecclesia à primis temporibus in colligendis Sanctorum Reliquis mirè sollicita, de Virginalis corporis Reliquiis nullam unquam mentionem fecit.

Hoc interim nobis in hâc festivitate præcipuè meditandum est, Sanctissimam Dei matrem ad tam sublimem gloriæ dignitatem, non aliter quàm per profundissimam *humilitatem* pertigisse, adeò ut juxta Christi sententiam, quantùm se ipsa demisit, tantùm fuerit exaltata; ut & nos ejus exemplo memores simus, (*b*) spiritalis ædificii nostri fabricam à fundamento *humilitatis* auspicari.

CAPUT XIX.

De præcipuis Festivitatibus aliorum Sanctorum.

QUæstio 1. *Quænam est illius lætitiæ ratio quâ* S. JOANNIS BAPTISTÆ NATIVITAS *in Ecclesia celebratur?*

℟. Quia Præcursor ille Domini in ipso Matris utero sanctificatus, instar *auroræ*, verum *orientem*, qui Christus est, præcedentis, in hanc lucem prodiit. In hujus lætitiæ testificationem, multis in locis mos invaluit, ut festivi ignes accendantur, à quibus omnis dissolutio, omnisque superstitio (quæ sensim irrepere solent) procul arcendæ sunt.

(*a*) Vide Jansenium. Episc. Gandens. in Concord. cap. 143. Matth. 27. ℣. ℣. 52. & 53.

(*b*) Vide S. Aug. Serm. 10. de Verbis Dom.

Juvabit autem exemplo *S. Joannis*, qui à pueritia cum fumma vitæ innocentia incredibilem in deserto austeritatem conjunxit, nosmetipsos excitare ad sæculi contemptum, innocentem vitæ integritatem, & spontaneam sensuum nostrorum mortificationem.

Q. 2. *Quomodo celebranda sunt Festa* SS. APOSTOLORUM?

℟. Intimo animi sensu venerari oportet primos illos Ecclesiæ Pastores, quos Christus ad fundandam Ecclesiam suam, miraculorum suorum testes, doctrinæque depositarios esse voluit; quod ut illi efficaciùs præstarent, testimonium quod reddebant proprio sanguine consignarunt. Et licet pauca admodum de Apostolorum plerorumque gestis nobis innotuerint; quantùm equidem & quo eventu laboraverint, fructus ipse demonstrat, quando totus pœnè orbis terrarum usque ad nationes maximè barbaras, per eorum prædicationem Evangelii notitiâ, cœtibusque Christianorum impletus fuit.

Alterum est, ut nos eorum zelum pro salute animarum pro virili nostra æmulemur, Deumque Patrem per Jesum Christum suppliciter oremus, ut ipso donante *Apostolici Spiritus* fervor, in Christi ministris etiamnum hodiè perseveret.

Q. 3. *Quid speciatim complectitur Festum* SS. PETRI & PAULI?

℟. Celebrandum proponit duplex Martyrium, Principis Apostolorum *Petri*, & Doctoris Gentium *Pauli*, qui eodem die sub impio *Nerone*, (*a*) Romanam Ecclesiam; cæterarum omnium Matrem & Magistram, suo sanguine dedicarunt.

(*a*) Circà an. Æræ. Vulg. 66.

Ità porrò

Ità porrò *B. Petri* Primatum, generosum in cruce martyrium, & quæ in duabus Epistolis nobis reliquit documenta, venerari nos oportet, ut & illius in Romana Cathedra successori, ceu supremo totius Ecclesiastici Regiminis Moderatori, sinceram obedientiam alacriter impendamus; Sponsumque Ecclesiæ Jesum Christum enixè oremus, ut qui ab hoc unitatis centro in viam schismatis, & errorum diverticula deflexerunt ad Ecclesiasticæ unitatis compagem, ipso propitio reducantur.

In *Paulo* suspicere & adorare nos convenit omnipotentem divinæ gratiæ operationem, quâ ille, ut tantò fortius & invictius ejus esset testimonium, ex ardentissimo Christianorum persecutore, (*a*) Christianæ fidei præco, Doctorque gentium effectus est. Veneremur abstrusa mysteria & universa salutis monita, quæ in communem Ecclesiæ utilitatem quatuordecim Epistolis, prorsus admirandis *Paulus* exposuit. Discamus utriusque exemplo nullis pro Christi gloria laboribus fatigari, nullis ab ejus confessione suppliciis deterreri.

Q. 4. *Quâ ratione* SS. Evangelistarum *Festa celebranda sunt*?

℟. *Evangelistæ* dicuntur quatuor illi historici, qui sanctâ simplicitate, & admirabili consensu, sine concertatione tamen consiliive communicatione, vitæ, prædicationis & mortis Christi acta conscripserunt; quorum primus *Matthæus* (*b*) ex Publicano Apostolus, paulò post Christi mortem, ejus historiam in Judæa conscripsit.

Secundus, *Marcus*, *Petri* Discipulus, decem circiter annis post Christi mortem, cum *Petrus*

(*a*) Actor. 9. (*b*) Matth. 9. ℣. 9.

Romanam Ecclesiam fundaret, Evangelium exaravit.

Tertius, *Lucas* professione medicus, individuus *Pauli* comes, qui annis post Christi mortem circiter viginti tribus, scripsit Evangelium: cui addidit historiam nascentis Ecclesiæ rerumque à *Paulo* gestarum, libro qui *Acta Apostolorum* inscribitur.

Quartus denique *S. Joannes* Apostolus, dilectus ille Christi Discipulus, qui in ultimâ cœnâ (*a*) fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, post tres Epistolas, & Propheticam *Apocalypsim*, postremus omnium scripsit Evangelium, contrà exortas adversùs Christi Divinitatem hæreses, anno circiter post Christi mortem 65.

Cæterum menti Ecclesiæ conforme est, in SS. Evangelistarum festivitatibus Deo gratias agere, quòd per eos salutarem ad nos transmiserit veritatem, ejusque misericordiam deprecari ut ad credendum firmiter quæcumque per Evangelistas scripsa sunt, suo nos lumine magis magisqus illustret.

Q. 5. *Quid de Festis* SS. MARTYRUM?

℞. *Martyres* dicuntur *testes* illi veritatis Evangelicæ, qui eam suo sanguine consignarunt, vitamque pro Christi gloria prodigentes, talem ergà illum amorem testati sunt: (*b*) quo major dari non potest. Atque hæc est justissima Ecclesiæ Catholicæ gloriatio, eam se fidem & religionem profiteri, quæ innumerabilium testium sanguine consignata sit. Etenim primis tribus Ecclesiæ sæculis perpetua ferè & universalis persecutio, (*c*)

(*a*) Joann, 13. ℣. 25. (*b*) Joan. 15. ℣. 13.
(*c*) Vide *Acta Martyrum sincera & selecta* per Theodoricum Ruinart.

prodigiosam Christianorum multitudinem, omni tormentorum genere è medio sustulit, inter quos, ut Divini Spiritûs efficaciâ clariùs elucesceret, tenelli sæpè pueri & puellæ cruciatus acerbissimos, invicto animo superarunt.

Quod ad nos attinet, *Martyrum* exemplo discere debemus, ut per bonorum operum fructum & quantumvis adversitatum tolerantiam, per affectuum nostrorum abnegationem, & spirituale martyrium, fidem nostram palàm semper testificemur.

Q. 6. *Quid in Festis* SS. Confessorum?

℟. Olim *Confessores* dicebantur, qui pro veritate Evangelica, varia incommoda citrà mortem sustinuerant; hodiè eo nomine vocantur illi, qui sanctitate conspicui sine Myrtyrio vitam finiunt.

Generatim autem in eorum festivitatibus meditandæ sunt virtutes in quibus excelluerunt, Deusque orandus ut per illorum intercessiones nobis tribuat, easdem virtutes imitari.

Q. 7. *Quid in Festis* SS. Virginum?

℟. Hæ sunt Ecclesiæ Christi singulare decus & ornamentum, (*a*) quæ in carne fragili & mortali vitam Angelicam æmulatæ sunt.

Harum proindè exemplo animare oportet nosmetipsos, ut singulari *castitatis* amore Deo fideliter serviamus, mundumque cum universis cupiditatibus ejus, Christo adjuvante, vincamus.

Q. 8. *Quid in Festis* SS. Mulierum & Viduarum?

℟. Glorificandus est Deus, quod omne hominum genus, status omnes & conditiones ad sanctitatem vocet, nosque ipsi excitandi, ut illius status aut muneris obligationes in quo nos divina

(*a*) Vide S. Ambrof. lib. 1. de Virg.

providentia collocavit, sedulò impleamus, ut hoc pacto ad sanctitatem quam illæ consecutæ sunt, nos quoque pertingamus.

Q. 9 *Quorsum instituta est solemnis Festivitas* SANCTORUM *simul* OMNIUM?

℟. (*a*) 1. Quidem, ut cum singulis per anni cursum singularis dies adscribi nequeat, unâ saltem omnes Beatorum ordines solemnitate colerentur, proque eorum victoriis & triumphis grates Deo agerentur.

2. Ut quod in ceteris Sanctorum festis per socordiam negligentiamque deliquimus, singulari devotionis fervore eo die restauremus.

3. Ut (*b*) desideratam nobis suæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus Dominus largiatur.

4. Ut dum omnium Sanctorum merita sub una celebritate veneramur, nullus sit sexus, status, aut conditio, quæ non habeat exemplar sibi propositum, quod imitetur. Nam etsi primum virtutum omnium exemplar cunctis propositum sit *Jesus Christus*; ne tamen infirmitas nostra ad illam sublimitatem *Dei hominis* obstupescat, proponuntur nobis hodie, homines similes nobis, in fragili carne mortales, ut nulla nobis justa excusatio supersit, si pigeat eorum exempla sectari.

5. Denique ut ex tantæ Sanctorum felicitatis meditatione, ad cœlestis gloriæ desiderium excitemur.

Q. 10. *Quid de commemoratione* OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM?

℟. Ecclesia in terris *Militans*, postridiè quàm *Triumphantem* in Cœlis venerata est, illiusque pro se patrocinium flagitavit, ex eodem spiritu

(*a*) Vide S. Bernard quinque Sermonibus agentem de hac solemnitate. (*b*) Collecta Diei.

Communionis Sanctorum, curam suam convertit ad Ecclesiam *Patientem*, ut suis illi suffragiis & præcipuè communi Redemptionis sacrificio opituletur. Privatâ itaque sollicitudine in dies alios reservatâ, isto die ad omnes generatim animas in Purgatorio detentas cura nostra extendenda est : simulque assumendus pœnitentiæ spiritus, quo in hac vita pœnalibus operibus purgati, sine ulla comparatione graviora post mortem tormenta evadere possimus.

Q. 11. *Quo spiritu peragendum est festum annuum* Dedicationis Ecclesiæ ?

℟. Recordari oportet visibile illud Templum cæremoniis plurimis maximèque venerandis consecratum fuisse, ut loco tantis mysteriis celebrandis destinato debita reverentia conciliaretur, quam proinde in nobis ipsis excitare & renovare debemus. At præterea cogitare quisque debet, se olim per Baptismum in vivum templum Patris, Filii & Spiritûs Sancti fuisse consecratum ; eritque adeò opportunum Baptismalia promissa firmo animi proposito renovare, credendi in Deum, & abrenuntiandi pompis & operibus diaboli, id est vanitati & corruptioni hujus sæculi. Atque hæc consideratio unicuique validum esse debet incentivum, ut dissolutionem & intemperantiam, quæ per astutiam serpentis antiqui, multis in locis in hos sacros dies irrepserunt, sedulò satagat evitare.

Q. 12. *Quid facto opus, ut festum* Patroni *sui quisque utiliter celebret* ?

℟. Juvabit expendere, quæ in illo virtutes singulariter commendentur : earum deinde proprietates, utilitatem & necessitatem attentiùs meditari ac denique ad earumdem imitationem seriâ voluntate accingi, adhibito ad eum finem ejusdem Sancti

apud Deum patrocinio. Debet porrò generatim mentibus nostris id esse impressum, Sanctorum cultum parum nobis profuturum, (a) nisi sedulò annitamur resectis vitiis eorum virtutes æmulari.

Q 13. *Quid de Festis* SS. ANGELORUM?

R. Horum Festivitas præcipuè celebratur 29. Septembris, quando simul omnium memoria agitur cum *Sancto Michaële* eorum Principe. Fit quoque speciatim *Angelorum Custodum* memoria die 2. Octobris, sed minùs solemniter.

Celebrandi ratio est eorum cum Deo conjunctio, & pro nobis pia sollicitudo, ut nostras ante Dei Thronum orationes offerant, nosque tueantur ac protegant.

Divinæ autem benignitati, quæ tam sublimes spiritus salutis nostræ nobis dedit administros, sincero cordis affectu gratias agere oportet: revereri deinde fideles omnes, quantumvis abjectos aut parvulos, quia (b) *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in cœlis est*: revereri etiam tutelaris Angeli nostri præsentiam, ne peccatis nostris affligatur, illique magna cum fiducia nos ac nostra omnia custodienda committere, eumque ob tantam nostri curam cum intima gratitudine venerari. Denique juvabit nosmetipsos (quantum in nobis est) excitare, ut in conspectu Angelorum ferventi cordis affectu orationes nostras effundentes, eas velut gratissimi odoris incensum ante Dei conspectum illis perferendas committamus.

(a) Vide S. Augustinum Serm. 317. aliàs 92. de diversis.
(b) Matth. 18. ℣. 10.

CAPUT XX.

De Virtutibus Cardinalibus.

QUæstio 1. *Quid generatim* Virtus *est*, & *quæ ejus divisio?*

℞. *Virtus* est facultas animi constans, atque conveniens, Laudabiles efficiens eos in quibus est, & ipsa per se, semotâ etiam utilitate, laudabilis.

Usitata *Virtutis* divisio est in *Theologicam* & *Moralem*.

Theologicæ sic dictæ quod circa Deum O. M. proximè & immediatè versentur, numerantur tres, *Fides*, *Spes* & *Charitas*, de quibus in superioribus abundè tractatum est.

Morales sic appellatæ, quòd circà *mores*, id est deliberatas hominum actiones occupentur, revocari solent omnes ad quatuor principales, quæ ceu quidam *Cardines*, in quibus omnis honestæ vitæ ratio vertitur, dictæ sunt Cardinales; (*a*) sunt autem *Prudentia*, *Justitia*, *Temperantia* & *Fortitudo*.

Q. 2. *Quid est* Prudentia, *quæ illius partes, quæ officia?*

℞. Prudentia est rerum expetendarum, fugiendarumque scientia.

Partes ejus præcipuæ sunt, attenta præteritarum rerum *recordatio*, circumspecta & docilis *intelligentia* præsentium, cauta denique ac solers futurarum rerum *providentia*.

Prudentiæ Christianæ *officium* hæc præsertim

(*a*) Vide S. Ambros. in lib. Officior. S. Aug. lib. 1. de Lib. Arb. c. 13. & lib. de Mor. Eccl. Cath. c. 15. lib. de Gen. cont. Manich. cap. 10. lib. 1. contra Academ. c. 7. S. Bernard. ex parvis Serm. 35.

duo complectitur. Primum est ut optimum, sibique aptum vitæ genus divino Spiritu dirigente quisque maturè deligat: alterum est, ut illius vitæ generis quod elegerit, functiones & obligationes omnes accurate investigans, nihil quod sui muneris est prætermittat, actionesque suas omnes ad præscriptum rationis, legisque Evangelicæ exigat.

Quem in finem ex innumeris regulis, quæ præscribi possent, hæ, saltem duæ memori mente perpetuò teneantur: 1. Finem ultimum qui Deus est, æternaque illius possessio, semper præ oculis habendum, totumque vitæ cursum eò dirigendum esse. 2 Numquam utile honesto, aut æquo iniquum anteponendum; adeò ut nihil agas unquam, quod dubites æquumne sit, an iniquum. (*a*) *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Q. 3. *Quænam* Prudentia *Christiano homini sollicitè evitanda est?*

R. Illa scilicet quam Apostolus vocat (*b*) *Prudentiam carnis*, dicens esse *inimicam Deo*; quâ quis sapit, curat, providet ea quæ carnis sunt; id est, quæ depravatæ hominis naturæ blanda & grata sunt, ad se suaque commoda referens universa. Sectanda è diverso ea prudentia est, quam Christus totius sapientiæ ac prudentiæ fons & origo, his verbis inculcat: (*c*) *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, ut intelligamus ad Christianam perfectamque prudentiam utcumque conjunctim requiri, *columbinam* videlicet *simplicitatem*, quæ innocentes, mitesque efficiat, & *solertiam serpentinam*, quæ nos cautos ac providos reddat, ut nec fallamus ipsi,

(*a*) Matth. 16. ℣. 26. (*b*) Rom. 8. ℣ 6.
(*c*) Matth. 10. ℣. 16.

neque ab aliis perniciosâ fraude circumveniamur.

Id fiet si doctrinæ Apostolicæ obtemperemus: (*a*) *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Quorum verborum hæc est sententia: (*b*) Cùm dies mali sint, omnia peccandi periculis plena, cavendum esse ne simus imprudentes & incauti in conversatione nostra; ne pretiosum benè agendi tempus nobis effluat; sed dandam operam ut intelligamus quid quovis loco ac tempore à nobis fieri velit Deus, ut cæteris postpositis, id exequamur.

Q. 4. *Quid verò est* JUSTITIA?

℞. *Justitiæ* nomen interdum Virtutum omnium Christianarum complexionem denotat, à qua is *justus* dicitur, qui Deo gratus & amicus est.

At hoc loco contractiùs pro speciali illa virtute sumitur, cujus id est proprium, *constanti ac perpetuâ voluntate dare cuique quod suum est.* De Justitia vitiisque illi adversis suprà suis locis pleraque scitu magis necessaria jam dicta sunt.

Ut porrò multiplicia *Justitiæ* officia certiùs & accuratiùs impleamus, memoriâ numquam excidat hæc æquitatis regula, quam ipsa Æterna Justitia Jesus Christus præscripsit: (*c*) *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Q. 5. *Quæ sunt Virtutes aliæ quæ ad* Justitiam *revocantur, illique* annexæ *dici solent*?

℞. Virtutes justitiæ *annexæ* dicuntur illæ, in quibus vel non reperitur stricta ratio debiti, vel

(*a*) Ephes. 5. ℣. 15. (*b*) Vide Estium in eum locum.
(*c*) Matth. 7. ℣. 12.

talis invenitur, quæ ad æqualitatem reddi non possit. Inter eas præcipuæ sunt *Religio*, *Pietas* & *Observantia*.

RELIGIO est virtus illa, quâ Deo O. M. ceu Omnipotenti rerum omnium Conditori, & sapientissimo ac benignissimo moderatori, debitus cultus exhibetur. Deficit à ratione justitiæ, quòd *ad æqualitatem* debitum persolvere non possit. Enimverò quidquid habemus, quidquid possumus, quidquid sumus, id totum debemus Deo & (*a*) cum fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, servi inutiles sumus. Bonorum utique nostrorum (*b*) ille non indiget; dumque illi servimus, nihil ipsi accedit, sed nobis. Bonus sanè ac verus *Dominus*, qui servo neutiquam indiget, sed sine quo *servus* esse non potest.

PIETAS ea virtus dicitur, quâ parentibus & Patriæ, tanquam ortûs nostri post Deum auctoribus, consanguineis item & civibus debitum obsequium præstamus.

OBSERVANTIA debitum honorem exhibet personis in dignitate constitutis, tamquam vitæ nostræ post Deum moderatoribus. Eam exercent servi erga Dominos, subditi erga Principes, Clerici omnesque fideles erga Episcopos & Pastores. Monachi erga Abbates, discipuli erga Magistros.

Q. 6. *Quid est* TEMPERANTIA?

℞. Est virtus, quæ sensuum oblectamenta, gustûs præsertim ac tactûs, intrà rectæ rationis limites coërcet. Ad eam pertinent *Abstinentia*, quæ in cibo, *Sobrietas* quæ in potu moderando occupari dicitur, *Castitas* deinde, quæ ab illicitis voluntatibus, & *Pudicitia* quæ ab omni aspectu & tactu impudico refrænat.

(*a*) Luc. 17. ℣. 10. (*b*) Psalm. 15. ℣. 2.

Cæterùm "Habet, inquit S. *Augustinus*, (a)
„ vir temperans in rebus hujus vitæ regulam
„ utroque Testamento firmatam, ut eorum ni-
„ hil diligat, nihil per se appetendum putet;
„ sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessi-
„ tatem, quantum satis est usurpet, utentis mo-
„ destiâ, non amantis affectu.„

Q. 7. *Quid est* Fortitudo?

℟. Est virtus, quâ labores, mortisque pericula, si quando pro veritate & justitia opus est, constanter & suscipiuntur & perferuntur. Media est inter pusillanimem *Timiditatem*, & audacem *Temeritatem*.

Vera *Fortitudo*, Christianorum est propria: dum nullis terroribus, nullisque incommodis à Dei Lege divelli queunt. Quæ res potissimùm eminuit in *Martyribus*, qui tametsi ætate imbecilles, aut sexu fragiles, memores tamen sententiæ Salvatoris: (b) *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, tormenta quævis atrocissima, ipsamque mortem potiùs pertulerunt, quàm à Jesu Christi fide, & veritate desciscerent.

Ceterùm verum illud animi robur, nobis omnibus in Christi militia necessarium, ab eo postulandum & expectandum est, cujus (c) *virtus*, id est fortitudo *in infirmitate perficitur*, & illustrior evadit. Hostes habemus prævalidos, sed quos militiæ nostræ Dux Jesus Christus, semel ità prostravit, ut cum auxilio ejus eos etiam nos superaturi simus. Ingentis quidem certaminis res est, illecebras *carnis* blandientis, terrores & vanitatem *mundi* seducentis, laqueos ignitaque te-

(a) S. Aug. Lib. de Morib. Eccles. cap. 12.
(b) Matth. 10. ℣. 28. (c) 2. Cor. 12. ℣. 9.

la *diaboli* insidiantis, constanter superare: sed indesinenti obtutu aspiciamus (*a*) *in remunerationem*, & qui ex nobis ipsis nihil, omnia poterimus (*b*) in eo qui nos confortat.

CAPUT XXI.

De quatuor Hominis (*c*) *Novissimis.*

QUæstio I. *Quæ dicuntur quatuor hominis* NOVISSIMA?

℟. Ea quæ inter cetera, quæ homini accidere possunt, extremum planè locum obtinent. Sunt autem: *Mors*, *Judicium*, *infernum & cœlestis gloria*. *Statutum est* enim *hominibus semel* MORI, *Post hoc* (*d*) *autem* JUDICIUM, tum *particulare* statim post mortem uniuscujusque, tum *universale* in consummatione sæculi. (*e*) *Procedent* autem *qui bona egerunt*, *in* VITAM ÆTERNAM, *qui verò mala*, IN SUPPLICIUM ÆTERNUM.

Q. 2. *Utilisne est harum rerum frequens & attenta consideratio?*

℟. Prorsùs unicuique utilissima est: primùm quidem, ut ab omni peccandi licentia, consuetudine & proclivitate, salutari divini Numinis timore deterriti, in via virtutis veræque pietatis professione confirmemur ac provehamur. Etenim (*f*) *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

Secundò, eo confert maximè horum *Novissimorum* seria meditatio, ut à curâ, studio & amore illarum rerum, quæ in hoc mundo caducæ

(*a*) Hebr. 11. ℣. 26. Psalm. 118. ℣. 122.
(*b*) Philip. 4. ℣. 13. (*c*) Vide Catech. Canisii.
(*d*) Hebr. 9. ℣. 27. (*e*) Joan. 5. ℣. 29. Matt. 25. ℣. 46.
(*f*) Eccli. 7. ℣. 40.

& fluxæ & vanæ sunt, faciliùs ac stabiliùs avocemur, agnoscentes universa, (a) quæ sub sole fiunt, vanitatem esse & afflictionem spiritus.

Tertiò, ex frequenti harum rerum cogitatione sensim assuescimus nihil unquam temerè aut inconsultò aggredi, sed extrema primùm omnium nobis ob oculos ponere, fineque prospecto viâ regiâ incedere, ut neque ad dexteram, neque ad sinistram à recto deflectamus.

Q. 3. *Quid evenire solet filiis sæculi hujus, quibus nimis tristis & molesta est* Novissimorum *consideratio?*

℟. Ut (b) vanitatem diligant, & quærant mendacium, ut (c) absque timore ullo perpetrent mala, imò non rarò (d) lætentur cum malè fecerint, & exultent in rebus pessimis. (e) *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Sic (f) *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* (g) *Gens absque consilio est, & sine prudentia: utinam saperent, & intelligerent ac novissima providerent.*

Q. 4. *Quænam igitur circà* Mortem *præcipuè consideranda sunt?*

℟. Expende 1. Nihil esse certius quàm te esse moriturum: sed quâ horâ id futurum sit, rem esse prorsus incertissimam, atque à solo nutu divinæ providentiæ momentis singulis dependentem. Interim vix nati sumus, & ecce mori incipimus, (h) *& quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur.*

2. Hominis moribundi anhelitus, & angustias,

(a) Eccl. 1. ℣. 14. (b) Psalm. 4. ℣. 2.
(c) Eccl. 8. ℣. 11. (d) Prov. 2. ℣. 14.
(e) Job. 21. ℣. 12. (f) Prov. 14. ℣. 13.
(g) Deut. 31. ℣. 28. & 29 (h) 2. Reg. 14. ℣. 14.

pallorem vultûs & lineamentorum omnium subitam confusionem, utiliter tibi ob mentis oculos exhibebis, ut hanc (a) *universæ carnis viam* te quoque propediem ingressurum esse, nullo unquam tempore obliviscaris.

3. Quisquis infami voluptati, spurcisque corporum deliciis perditè inardescit, is tantisper consideret, quomodò hæc ipsa corpora tantopere adamata, mox ubi mors animam ab illis separavit, cunctorum horror fiant & abominatio, omnesque festinent ea è conspectu removere, vermibusque ac putredini depascenda committere.

4. Ut (b) *mors peccatorum pessima est*, eorum scilicet, qui gravi crimine obstricti, sine pœnitentia moriuntur: ità (c) *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* His quippe mors ista corporis, nihil aliud quàm laboriosæ hujus peregrinationis ærumnosi exilii terminus, quieta & secura usque ad futuram resurrectionem obdormitio, veræ vitæ principium, & optabilis transitus ad beatam immortalitatem: cujus desiderio Apostolus flagrans, & hujus mortalitatis pertæsus, cupiebat (d) *dissolvi, & esse cum Christo.* Enim verò (e) *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.*

5. Denique ut mors nobis obtingat felix, indesinenti studio laborandum est, ne obveniat imparatis. Idcircò toties in Evangelio nobis repetitur illud: (f) *Vigilate*: item, *Estote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis ve-*

(a) Josuæ 23. ℣. 16.
(b) Psalm. 33. ℣. 22. (c) Psalm. 115. ℣. 15.
(d) Philip. 1. ℣. 23. (e) Apocal. 14. ℣. 13.
(f) Matth. 25. Marc. 13. Luc. 12.

niet. (a) *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*, (b) *Venit* enim *nox, quando nemo potest operari.*

Q. 5. *Quid de* JUDICIO *praecipuè cogitandum est?*

R. Horrendum esse incidere in manus illius Judicis, cujus non licet potestatem effugere, sapientiam fallere, æquitatem flectere, judicium retractare. Christus scilicet, qui in primo suo adventu, ut mitissimus *Agnus* apparuit, in secundo ut *Leo* (c) terribilis apparebit, scrutabitur (d) Jerusalem in lucernis: revelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: ipsaque etiam benefacta (e) & justitias nostras judicabit, ut det unicuique juxta viam suam, (f) & juxta fructum adinventionum suarum. Quod dum ipsimet Sancti ac justi attentâ mente perpendunt, trementes & pavidi cum Davide exclamant: (g) *Ne intres in judicium cum servo tuo Domine.*

Ut verò Clementem tunc judicem, ac diem illum, (h) quo cœlum & terra transibunt, lætum nobis, faustumque habeamus, nihil utilius isto Sapientis consilio: (i) *Ante languorem adhibe medicinam, & antè judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem.* (k) *Si enim nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Vide Part. 1. Sect. 1. cap. 24. ubi de *Judicio* latiùs actum fuit.

Q. 6. *Quid de* INFERNO *ejusque pœnis cum animis nostris expendere debemus?*

(a) Gal. 6. ℣. 10. (b) Joan. 4. ℣. 9.
(c) Apoc. 5. ℣. 5. (d) 1. Cor. 4. ℣. 5.
(e) Psalm. 74. ℣. 3. (f) Isai. 3. ℣. 10.
(g) Psal. 142. ℣. 2. (h) Luc. 21. ℣. 33.
(i) Eccl. 18. ℣. 20. (k) 1. Cor. 11. ℣. 31.

2. Ut (*a*) divini timoris stimulo carnes nostræ configantur, perpendatur supplicii primùm acerbitas, deindè æternitas: quod si ità seriò fiat, ut ad cor penetret, nemo est tam ferreus, qui non toto animo ac corpore contremiscat.

Considera ergo ante omnia luctuosum, triste ac horridum à jucundissimo Dei conspectu *exilium*: adde *fletum & stridorem dentium*: dilaniatæ conscientiæ *vermem* qui non moritur, & *ignem* qui non extinguitur, quo miris sed veris modis, non solùm corpora, sed & animæ torqueantur. Concipe *terram tenebrosam* & opertam mortis caligine, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed *sempiternus horror* inhabitat: *stagnum ardens* igne & sulphure, quod est *mors secunda*: ubi denique pro diversitate meritorum, diversa singulis supplicia destinata sunt.

His omnibus demùm adjunge *Æternitatem* non ante desituram quàm desinat esse Deus, hancque sempiternæ durationis abyssum damnatorum oculis perpetuò obversantem, & infinitâ quodammodo desperatione eorum animos disrumpentem, & totus obstupefactus haud dubiè exclamabis: (*b*) *Horrendum est incidere in manus Dei Viventis*! ô æternitas! ô semper duratura æternitas! Eheu quàm fatua, quàm insana, quàm phrenetica commutatio, *Momentaneum* quod delectat, *æternum* quod cruciat! (*c*) *timete* ergo *eum* (ipsius Christi verba sunt) *qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam: ità dico vobis hunc timete.*

Ceterùm ad tam acerbam pœnarum æternitatem humanæ mentis acies obtunditur, propterea quòd atrocitatem criminum, quibus immensa

(*a*) Psalm. 118. ℣. 120. (*b*) Hebr. 10. ℣. 32.
(*c*) Luc. 12. ℣. 5.

Dei Ma-


Dei Majeſtas læditur & quodammodo violatur, inter hujus mortalis vitæ tenebras atque caliginem intellectu aſſequi nequeat. Communis interim Theologorum cum S. Thoma ſententia eſt, in ipſa quoque juſtiſſima impiorum damnatione, aliquid divinæ miſericordiæ eſſe admixtum, dum eos punit *citrà condignum*, quemadmodum juſtis præmia retribuit *ultrà condignum*.

Q. 7. *Quid de juſtorum retributione* CŒLESTISQUE GLORIÆ FELICITATE *potiſſimùm meditandum eſt?*

℟. Videri poſſunt ea quæ de hac re Parte primâ Sect. I. Cap. 31. dicta ſunt. Hoc loco ſatis erit æternæ felicitatis ineffabilem magnitudinem ex hoc utcumque conjicere, quòd is, qui illam amicis ſuis præparavit, ſit Deus O. M. poteſtate illimitatâ, ſapientiâ immensâ, bonitate infinitâ. Quidquid aliud dicitur, immenſum illud gloriæ pondus vix minimâ ſui parte adumbrat, maximè ob illam ſtabilem in Deo totius bonitatis fonte tranquillitatem, quæ quia in omne ævum cum plena animi ſatietate eſt duratura omnem ſenſum ſuperat & intellectum. Hoc unum interim veriſſimè dicere poſſumus, (*a*) Non eſſe condignas hujus temporis paſſiones, tribulationes atque moleſtias, etiam in unum omnes ſimul congeſtas, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, ſi per fidem, ſpem & charitatem conſtanter adhæreamus Deo. Quò tendit tota hujus Libri Doctrina, cui Miſericordiarum Parens largum tribuat incrementum, & nomini ſuo gloriam ſempiternam. *Amen.*

(*a*) Rom. 8. ℣. 18.

FINIS.



INDEX TITULORUM.

CAtechismi necessitas & Partitio. *Pag.* 7

PARS PRIMA.

De Fide & Symbolo, item Sacramentis & Cæremoniis Ecclesiæ. 10

SECTIO PRIMA.

De Fide & Symbolo. 11
Caput I. *De Fide, ejus objecto, exercitio & necessitate.* ibid.
Cap. II. *De Scriptura Sacra & Traditione.* 14
Cap. III. *De vitiis Fidei oppositis.* 18
Cap IV. *De Symbolo Apostolorum: primo illius articulo: Deo Uno & Trino.* 21
Cap. V. *De Omnipotentia, aliisque Dei attributis & perfectionibus.* 24
Cap. VI. *De creatione rerum, ac præsertim Angeli & Hominis.* 27
Cap. VII. *De lapsu hominis, & peccato Originali.* 30

Cap. VIII. *Brevis S. Historiæ & Religionis series ab* Adamo *usque ad* Moysem. 33
Cap. IX. *Religionis series à* Moyse *usque ad* Davidem. 37
Cap. X. *Religionis series à* Davide *usque ad* captivitatem Babylonicam. 41
Cap. XI. *Series Religionis, à* captivitate Babylonica *usque ad* Christum. 43
Cap. XII. *De adventu Christi, & secundo Symboli articulo.* 46
Cap. XIII. *De tertio Symboli articulo : id est Incarnatione, Conceptione & Nativitate* Jesu Christi. 50
Cap. XIV. *De* Vita Christi, *ab infantia usque ad ætatem* 30. *annorum.* 53
Cap. XV. *De Christi Baptismo, Jejunio, Tentatione, & Vocatione Discipulorum.* 58
Cap. XVI. *De Miraculis Christi.* 62
Cap. XVII. *De Christi Virtutibus.* 65
Cap. XVIII. *De Prædicatione & Doctrina Christi ac Adversariis ejus.* 69
Cap. XIX. *De* 4. *Symboli articulo, ac primò de Passione Christi.* 73
Cap. XX. *De Morte & Sepultura Christi.* 78
Cap. XXI. *De Beneficio mortis Christi, sive Gratia Salvatoris.* 83
Cap. XXII. *De* 5. *Symboli articulo, Descensu ad inferos, & Resurrectione Christi.* 89
Cap. XXIII. *De* 6. *Symboli Articulo, Ascensu Christi in Cœlum, ejusque ibidem gloria, officio & potestate.* 94
Cap. XXIV. *De* 7. *Articulo Symboli Apostolorum, id est de Potestate Christi judiciaria.* 98
Cap. XXV. *De* 8. *Symboli Articulo :* Spiritu Sancto, *Adventu ejus, donisque & fructibus.* 104

Cap. XXVI. *De Propagatione Evangelii, & certissima veritate Religionis Christianæ.* 109
Cap. XXVII. *De Ecclesia, ejusque Unitate, & Communione* Sanctorum. 113
Cap. XXVIII. *De reliquis Ecclesiæ Notis* : Sancta, Catholica & Apostolica. 117
Cap. XXIX. *De* 10. *Symboli Articulo, id est Remissione peccatorum & Justificatione.* 120
Cap. XXX. *De* 11. *Articulo*, Carnis Resurrectionem. 124
Cap. XXXI. *De* 12. *Articulo, Vita & morte æterna.* Vitam æternam. Amen. 127

SECTIO SECUNDA.

De Sacramentis & Cæremoniis Ecclesiæ. 131
Cap. I. *De Sacramentis Novæ Legis generatim.* ibid.
Cap. II. *De Sacramento Baptismi.* 136
Cap. III. *De Baptismi Cæremoniis.* 140
Cap. IV. *De Sacramento Confirmationis, illiusque Cæremoniis.* 145
Cap. V. *De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento: ac imprimis de reali Christi in Eucharistia Præsentia, transsubstantiatione, & Adoratione illi ibidem debita.* 149
Cap. VI. *De hujus Sacramenti usu, & fructu.* 155
Cap. VII. *De Sacrificio Novæ Legis, quod in Missa offertur.* 159
Cap. VIII. *De* Missa *ejusque partibus & cæremoniis.* 163
Cap. IX. *De Sacramento Pœnitentiæ, illiusque prima parte Contritione.* 171
Cap. X. *De examine conscientiæ, ubi de peccatorum distinctione & circumstantiis.* 176

Cap. XI. *De Confessione.* 183
Cap XII. *De Absolutione & Satisfactione.* 187
Cap. XIII *De Purgatorio, Indulgentiis & Excommunicatione.* 191
Cap. XIV. *De Sacramento Extremæ Unctionis.* 194
Cap. XV. *De Ordine generatim; Irregularitate & Vocatione ad statum Ecclesiasticum.* 196
Cap. XVI. *De Tonsura, Beneficiis Ecclesiasticis & Simonia.* 200
Cap. XVII. *De Ordinibus Minoribus & Subdiaconatu.* 205
Cap. XVIII. *De Diaconatu, Presbyteratu & Episcopatu.* 208
Cap. XIX. *De Sacramento Matrimonii.* 211
Cap. XX. *De Religioso vivendi genere.* 215
Cap. XXI. *De Cæremoniis Ecclesiæ, quæ extrà Sacramentorum administrationem frequentantur.* 218

PARS SECUNDA.

De Spe, & Oratione, præsertim Dominica. 223
Cap. I. *De Spe Christiana, ejusque exercitio, & vitiis illi adversis.* ibid.
Cap. II. *De Oratione, præsertim Mentali.* 226
Cap. III. *De Orationis necessitate & fructu.* 230
Cap. IV. *De situ corporis, loco & tempore orationis.* 225
Cap V. *De Oratione Dominica; ac de illius præsertim primâ petitione.* 239
Cap VI. *De secunda petitione:* Adveniat Regnum tuum. *Item de Tertia:* Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. 242
Cap. VII. *De 4. petitione:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *item de 5.* Dimitte


nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 246
Cap. VIII. *De ſexta petitione :* Et ne nos inducas in tentationem : *item de ſeptima :* Sed libera nos à malo. 250
Cap. IX. *De Salutatione Angelica.* 253

PARS TERTIA.

De Charitate, Præceptis Dei & Eccleſiæ cæteriſque officiis Juſtitiæ Chriſtianæ. 257
Cap. I. *De Charitate Dei.* ibid.
Cap II. *De Charitate proximi & operibus miſericordiæ.* 260
Cap. III. *De Decalogo, ac præſertim primo illius Præcepto.* 264
Cap. IV. *De Invocatione Sanctorum, Cultu imaginum & Veneratione Reliquiarum.* 268
Cap. V. *De ſecundo Præcepto Decalogi, Blaſphemia, Juramento, Perjurio, & Voto.* 273
Cap. VI. *De tertio Præcepto Decalogi :* Memento ut diem Sabbati ſanctifices. 277
Cap. VII. *De quarto Decalogi Præcepto :* Honora Patrem tuum & Matrem tuam ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 280
Cap. VIII. *De quinto Decalogi Præcepto :* Non occides. 285
Cap. IX. *De ſexto Præcepto :* Non Mœchaberis. 289
Cap. X. *De* Gula, *ejuſque Remediis.* 292
Cap. XI. *De ſeptimo Decalogi Præcepto :* Non furaberis. 296
Cap. XII. *De* Reſtitutione *ob furtum & rapinam.* 299

Cap. XIII. *De Octavo Præcepto* : Non loqueris contra proximum tuum falsum Testimonium. 303
Cap. XIV. *De Detractione & contumelia, aliisque* Linguæ *peccatis.* 308
Cap. XV. *De nono & decimo Præcepto Decalogi.* 313
Cap. XVI. De Præceptis Ecclesiæ. 316
Cap. XVII. *De Festis Domini nostri Jesu Christi, ceterisque Ecclesiæ observantiis, quæ istuc reducuntur.* 322
Cap. XVIII. *De Festis Beatissimæ Virginis* Mariæ. 330
Cap. XIX. *De Præcipuis Festivitatibus aliorum Sanctorum.* 335
Cap. XX. *De Virtutibus Cardinalibus.* 343
Cap. XXI. *De quatuor hominis Novissimis.* 348

FINIS.




BODLEIANA



